

1780-

*

1. Silvius Kleinius: Rhapsodie supplementa. Programma, quo trium facultatum Recens seniorum et reliqui qui anniversari memoriam Silvius Kleinium celebrant.
2. Arnold, Gulielmus Augustus: Tramen Constante et Tramen Fredericum, Sacrae Electores, nequamque religiorum causa appugnante crationem Fortis nandi I, regis Romanorum.
3. Baenius, Henricus Gorpius: De pacto hereditatis latissimorum.
4. Binius, Christianus Gottlob: Origines iuriis dictionis fundalis ex iurisdictione ordinaria repetundis.
5. Breuning, Christianus Henr.: An legatarius speciem legakam Puteriana actione potest posse?
6. Einerius, Christianus Gottlob: Practer occupationem nullum existere modum dominij acquirendis naturalium.

1780.

7. Hohenherz, Henricus Michael : De interrogacione
testium sic in secreto. Programma, quo ad ora-
tionem orationem inserviat.
8. Hommel, Carolus Ferdinandus : Rhapsodie sup-
plementa. Programma, quo ad solennia inauguralia
Johannae Domus Berliniae inserviat.
9. Hommellius, Carolus Ferdinandus : De vicariato
Saxonico.
10. Hund, Christian Gottlieb : Num usus iuris iurandi
in civitatis Christianae est probandus?
11. Koenig, James Gottlieb : De restituzione et con-
pensatione damni, Mati non temere urgenda.
12. Pahl, Christianus Fredericus : De fatis praescrip-
tionis longissimi temporis ex legibus Justiniani.
13. Pfeifferius, Ios. Lud. Ean, par. jas. procuratorialis :
Programma, quo solennia inaugralia Christianae Berol.
Iugusti inserviat.

1788.

14. Pottmannus, Iuris Lectorum Insularis: *Eccl. iure
adversendi ad emitorum hereditatis hanc per-
tinente.*
15. Ritterus, Chri. Gottl.: *Ne conditione nonius
perenti, ultimis ratione datibus adscripta.*
16. Schott, Augustus Friesianus: *Alii maritimi sumptus
in funere uxoris factos ex concurso in lugine
bonis orto reperire jure possunt?*
17. Schott, Augustus Friesianus: *An a rigore obversatio-
num foreniem.*
18. Seyfertus, Chri. Leibnitz: *De dominio fundorum
utiliis.*
19. Wiederus, Cr. Gustavus: *Ne actione aquae pluviae
arrendat.*
20. Walle, Chri. Ephorus Friesianus: *Quaestiones
en vario iure*
21. Jellens, Fr. Gratiæ: *Observationes practicæ.*

57
1780, 4.

EXERCITATIO IVRIS CLIENTELARIS
DE
ORIGINIBVS IVRISDICTIONIS
F E V D A L I S
EX IVRISDICTIONE ORDINARIA
REPETVNDIS

S C R I P T A

E T

AU^GTORITAT^E ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
P R A E S I D E

CHRISTIANO GOTTL^OB BIENERO

IVRECONSVLTO

A. D. XXIX. IVNII CICIOCCCLXXX.

H. L. Q. C.

AD DISCEPTANDVM PROPOSITA

A

IOANNE BALTHASARE WOLKOPFFIO
PRETZSCHENSI.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEM. HEREDD. ET KLABARTHIA.

GRACIENIUS HERZOGICUS
H. B. A. D. A. T. I. S.
IN LIBERATIONE ORGANIA
PERPETUA
SERVATA
T. 8.
VICTORIATE IESSATIS IOTORVM ORDINIS
P. H. A. E. I. D. H.
CHRISTIANO GOTTLOBO HILDEBRANDO
LUDWIGI
A. D. XXXII T. V. M. C. D. CCC. LXXX
N. M. 6. 3.
AD OBLIVIATIONEM TROPICARIA

JOVNE BAPTISTAE MOLITORI
LIPSIENSIS
ALIUS H. R. M. A. P. A. M. C. M. X. C. M. X. C. M. X.



CAPVT I.

DE PRINCIPIIS NOTIONIBVSQVE IN VNI- VERSVM.

§. I.

Introductionem libelli complectens.

Nullus sane locus per disciplinam iuris publici priuatique in Germania latius patet; quam iurisdictio. Haec enim non solum in iudiciis priuatis conspicitur, sed totam etiam regiminis formam ipsumque adeo statum publicum amplectitur. Neque ratio longe mihi videtur reperenda. Iuris enim ducendi potestas maioribus nostris tanti habebatur, vt omnem imperii vim in eadem ponerent, imaginemque eius ex disciplina militari exprimerent. Ne tamen libertas Germanica aut minueretur aut infringiceretur per iudices, abusisque in re, quae maximam vim in ciuitatem et singulos subditos habet, irreperent; cautum et moribus maiororum receptum fuit, vt nullum iudicium sine legitimis adcessoribus haberetur. Accedebat huius rei altera causa, scilicet, vt viri litibus iudicandis adcessent, qui et legum patriarum et consuetudinum peritiam haberent iuraque in primis illius Ordinis intelligerent, cuius homo et membrum in ius vo-

A 2

catus



catus fuerat. Vitam enim fortunamque vnius hominis arbitrio, qui vel ira et studio vel culpa et negligentia male iudicare posset, nunquam Germani submiserunt; deinde vim legum et obligacionum, non tam in regulis generalibusque sanctionibus ponebant, quam sequebantur potius iura singularia pactis moribusque constituta, quae fere vsu et experientia addiscenda erant. Quae quidem, etiam si moribus non constitutum fuisset, necessitatem iudicii imponebant adhibendi adcessores, virosque litibus iudicandis. Neque tamen hic libera erat iudicis, quem veller eligendi potestas, sed adcessores reo et ordine et dignatione pareret esse oportebat. Inde regula iuris Germanici late per omnem iudiciorum Germanicorum formam manat, vt ne quis ab inferiore homine, sed viris eiusdem cum reo ordinis, gradus et dignationis iudicetur. Atque inde factum esse arbitror, vt tot iudicia specialia moribus maiorum constituta ad posteritatem propagarentur, quorum non vestigia solum, sed usus etiam in multis partibus superest.

Iudicia feudalia reliquis fere omnibus longe eminent, ipsaque iurisdictio feudalismus, cuius exercitium parit iudicium feudale, maximi in Germania habetur, vt adeo Principes Electores CAPITULATIONI CAESAREAE Art. XXI. c. 1. locum ad tuendam conservandamque iurisdictionem feudalem inserendum, ipsiusque Imperatoris iurecurando confirmandum curauerint. Quamobrem haec res in usu quotidiano posita vehementer exercevit viros doctos, quo aliorum industria non excitari, sed absurri, reprimi et extingui possit. Cum autem periculum scribendi facere animum induxissem, Praesidemque, Virum mea laude maiorem, a cuius ore quod in scholis iuris publici et feudalis pendere mihi contigit me omnino felicem praedico, adirem; auctor suaforque fuit, vt ipso duce et auspice iurisdictionis feudalis origines ac progressus eruerem. Non potui non huic desiderio obtemperare atque, etiam si in tanta scriptorum turba meus libellus

bellus in obscuro sit, iuuabit tamen rei, dissensionibus virorum doctorum adhuc agitatae, pro virili et me ipsum consuluisse. Nolo autem in conquirendis refellendisque aliorum opinioribus tempus chartamque absumere, sed ex documentis coaevis originem et progressum iurisdictionis feudalis per tempora distincta obseruare, quo et vera huius iurisdictionis ratio et causa cognoscatur, et dissensiones tam de fundamento huius rei genuino, quam de finibus eiusdem regundis, si non tollantur, certe minuantur, et firma post tot disputationes dissensionesque ponantur principia. Arbitrium harum quidem rerum viris doctis defero, quorum iudicium et existimatio valebit.

§. II.

De iurisdictione ordinaria iurisdictionis feudalnis fundamento.

Quibus in vniuersum principiis, quo uno, vero et proprio fundamento nitatur iurisdictio feudalnis, in multas partes agitata fuit quaestio, quam tandem viri docti ita deciderunt, ut in imperio vnicam eius rationem ponerent¹⁾. Plura sunt huius rei argumenta. Primum quidem omnis iurisdictio ex imperio oritur, quod non natura ciuitatum solum docet, sed ex moribus maiorum etiam pater, quanquam, vt plura alia maiestatis et imperii iura, in dominium et proprietatem cessit, vt ipsa dominii portio haberetur²⁾. Ex quibus efficitur, ut iurisdictio feudalnis non possit non etiam ex imperio esse. At enim quum haec viro-

A 3 rum

1) Haec fundamenta iecerunt **VIRI ILLVSTRES BOHMERVS** in *Principiis Iur. Feud.* §. 224. et in *Observat. Iur. Feud. cap. XII.* §. 7. sequ. et, qui singulari libello id sibi demonstrandum sumit, **HELLFELDIVS** de genuino fundamento iurisdictionis feudalnis eiusque limitibus *Iena* 1753; quibus suffraga-

tur **A. SCHOELLENBACH** in *diff. de Iurisdictione in feuda Imperii PRAES. PVITTERO* *Gœst.* 1767, proposita.

2) Cf. **PRAESIDIS**, Praeceptoris mihi multis nominibus colendi *Diff. in ang. de Iurisdictione Ordinaria et Extra* *Lips.* 1777.

—————

rum eruditorum sententia causam tantummodo remotam contineat, neque plene doceat, quo pacto ex imperio prouenerit processeritque iurisdictio feudalis; lubido incessit animum demonstrare, proximam iurisdictionis feudalis causam in iurisdictione ordinaria esse ponendam, ut non tam ex imperio, iurisdictionis ordinariae fonte, quam potius ex iurisdictione ordinaria, tanquam riulus, ducatur, ideoque imperium remotam quidem, iurisdictio ordinaria autem proximam constitutam causam. Quamobrem, si definitione debeat comprehendendi **IURISDICTIO FEUDALIS, EST EXERCITIVM IURISTICATIONIS ORDINARIAE IN CAVSIS FEVDALIBVS INTERVENIENTE PARIVM CVRIAF MINISTERIO.** Evidem hoc loco neque causas feudales definiam, neque pares curiae eorumque rationem discutiam, id tantummodo in vniuersum annotare contentus, iudicium parium eiusque constituendi necessitatem veram continere rationem, cur iurisdictio feudal separata et distinctam iurisdictionis speciem paulatim confidere cooperit, quod origine cognita clarius patebit. Itaque iurisdictio ordinaria, quatenus ad causas feudales profertur, in iisque noscendis iudicandisque versatur, ab ipsa hac re, in qua versatur, nomen accepit. Ex quibus perspicitur verum et proximum fundamentum esse iurisdictionem ordinariam, ita ut quilibet iudex ordinarius capax sit, habeatur iurisdictionis feudalis, exercitium autem a dominio directo suspendatur. Quare, nulla originis ratione habita, duo sunt iurisdictionis feudalis prima principia, alterum quidem iurisdictionis ordinaria, sine qua non intelligitur feudalis, alterum dominium directum, ordinario iudici iure quodam proprio competens, sine quo exercitium iurisdictionis feudalis ne fangi quidem aut cogitari potest. Nam cum iudicium parium ad exercendam iurisdictionem in causis feudalibus necessarium moribusque constitutum est, sequitur, ut ab eo solo iudice possit feudalis exerceri iurisdictio, qui dominium feudorum directum

vassal-

vassallosque curiae pares habet. Quamobrem alterum sine altero non intelligitur atque hoc modo explicandum, quod FRIDERICVS I. II. F. 55. §. 5- constituit his verbis: *Praeterea, si inter duos vasallos de feudo sit controuersia, domini sit cognitio et per eum controuersia terminetur: si vero inter dominum et vasallum lis oriatur, per pares curiae a domino sub fidelitatis debito coniuratos terminetur.*

Quae situm fuit an rusticus aut aliis feudorum dominus privatus iurisdictionem feudalem exercere possit. Evidem hoc nego negandumque censeo, quoniam dominio directo iurisdictione feudalibus ipsa non continetur, sed exercitium tantummodo ab eo suspenditur, ut nullus dominus, nisi iurisdictione ordinaria gaudeat aut judicis ordinarii auctoritate aliquam notionem moribus maiorum obtinuerit, in feudis exerceat iurisdictionem, quamquam id impedimento non est, quo minus iura, quae dominio directo insunt, habeat exerceatque. SCHILTERVS Comment. ad Ius Feud. Alem. cap. III. §. VII. de feudis a priuato constitutis, recte ita iudicat: *Sed ista species feudi analogica et ad emphyteusin magis accedit, neque enim seruitia militaria plebeius imponere potest, neque pares curiae habere, neque iurisdictionem feudalem exercere, sed ea tantum, quae ad dominium directum pertinent, iure autem huius dominii non venit iurisdictione. Neque enim lex aut consuetudo talem contulit plebeio feudum danti, neque usus fori admittit, quoties enim privatus aut plebeius agrum eiusmodi feudalem contulit alteri pro censu, non potest censem exigere vi dominii directi, sed per iudicem ordinarium adeoque ius feudale nullam iurisdictionem plebeii et rusticis tribuit, eo quod dominium vtile transferre permittit.* Quae quidem omnia vere et accurate dicta puto, virosque doctos in errorem videtur perpetua fere dominii directi et iurisdictionis feudalibus coniunctio induxisse, ut, iurisdictione eiusque exercitio in confessu vasallorum et domini cognito, colligerent, veram eius rationem in dominio directo esse ponendam, et utrumque, tam dominium directum, quam iurisdictionem feudalem, ex contractu ipso

ipso esse repetendum. Nolo equidem iudex inter tantos viros sedere, sed tantummodo rationes meas exponere, cur et origo iurisdictionis feudalnis ex ordinaria iurisdictione deducenda et fundatum eius proximum in eadem iurisdictione collocandum videatur³⁾.

§. III.

De primo argumento, cur iurisdictionis feudalnis fundamentum in ordinaria iurisdictione ponendum videatur.

Duplex argumentorum genus est, ex quibus philosophica ratione principium supra positum cognoscitur; unum ab effectu petitum, alterum ex historia de promptum. Quanquam enim proprium iureconsultorum demonstrandi principium est dispositio legis, seu Principis et Regis voluntas; tamen in iuribus patris versanti non semper contingit esse tam felici, ut veritas recepta usque firmata ex lege cognoscatur, sed aliunde saepe probatio petenda, ut taceam origines iurium saepe non ex ipsis legibus, sed ex monumentis historicis esse demonstrandas. Iurisdictionis feudalnis fundamentum moribus maiorum in iurisdictione

ne

3) Cuilibet domino, nulla iurisdictionis ordinariae habita ratione, competere feudalem iurisdictionem ait ANADAEVS A PONTE in *Quæstione Iuris feudalnis: quis sit index in causa feudi* num. 27. ubi certum est, inquit, *inter vasculos de feudo contenden tes dominum feudi esse iudicem competitum habere*que ordinariam iurisdictionem, *sed iure quodam speciali etiam si alias iurisdictionem non habeat.* Decipitur auctor, vii alii iuris Longobardici interpres, domini verbo, quod de domino iurisdictione ordinaria instruendo intelligendum esse infra demonstrabimus.

VLR. AB EYBEN in *diff. de causis feudalibus* OPP. p. 668. fundamentum remotius in voluntate imperantis ponit, proximus in voluntate contractum feudalem celebrantibus; rusticu*m* iurisdictionem feudalem tribuit ROSENTHAL *de Feudis* cap. XII. num. 6. et 7. atque COCCETI de eo quod iustum est circa ruficos in materia feudal cap. II. §. 6. ubi colligit: *posito feudo ponitur etiam iurisdictionis feudalnis, quae, cum ipso iure ex contractu feudal sequeatur, legibus hinc iuri Romani l. 3. Cod. de Iurisd. oppugnari non poterit.* Vereor, ut exemplum aliquod allegari possit.

ne ordinaria ponendum esse, primum inde cognoscitur, quia
vbique a iudicibus ordinariis exercetur, neque fere vlibi iudicia
feudalia habentur, nisi a iudice ordinario, aut iudicis ordinarii
auctoritate. **LEGES NORMANNICAE** apud **L V D E W I G**
Reliqu. MCtorum et Dipl. T. VII. p. 152. c. III. vtramque
iurisdictionem ita iungunt: *Iurisdictio feudalis est illa, quam habet*
quis ratione feudi sui, unde ad ipsum pertinet inscribere de querelis ex
feodo procreatis et etiam super omnibus aliis querelis, quae contra re-
sidentes feodi procreantur; exceptis tamen illis, quae specialiter perti-
nent ad ducatum. Dupliciter autem exercetur, vel constituto sin-
gulari feudorum iudicio, quae praerogativa vassallorum in mul-
tis adhuc territoriis obtinet ⁴⁾; vel sine parium iudicio, vt adses-
sores iudicij ordinarii etiam in causis feudalibus cognoscere et iu-
dicare possint, quanquam saepe tales iudicij ordinarii adsessores
esse solent, qui, ratione rei habita, pro paribus curtis haberri
possunt. Ad hoc territoriorum genus referenda sunt territoria
Saxonica, pluresque aliae prouinciae, quas recensere et monu-
mentis historiarum illustrare, disputationis nostrae ratio non
patitur ^{5).}

§. IV.

4) *L V I N I G in Corpore Iuris Feudalitatis*
vbique fere annotauit rationes iudicij
feudalis, plura etiam attulit **PETR.**
L V D E W I G de primo foro subfeudorum
Imperialium cap. II. et V. atque **L V D O-**
V I C I de Processu feudali cap. I. vsum
tamen hodiernum optime exposue-
runt **I E N I C H E N** de r̄su hodierno pa-
rium curiae Lips. 1751. et **D A N**. **H O F F-**
M A N N de r̄su moderno iudicij parium
curiae Tübingerae 1753. vbi plura exem-
pla adferuntur, atque de obligatione

domini ad iudicium parium constituen-
dum hodierna exposuit **M O S E R V S** in
Tractatibus iuris diuersis Vol. II. p.
783.

5) Cf. **L V D O V I C I** l. c. cap. I. §. 62,
sequ. qui plura territoria memorat, in
quibus iurisdictio feudalis cohaeret iu-
risdictioni ordinariae, quod **H E L-**
F F L D I V S de *Iurisdictio feudalis fundamento*
§. XVII. etiam annotauit.

B

§. III.

Status contouerfiae constituitur et dominium directum eiusque iura a iurisdictione feudali secernuntur.

At vero, ne verborum contouersia oriatur, illud monendum, hoc loco disputationem institui de iurisdictione feudali, quam contentiosam vocant. Voluntaria enim feudorum iurisdictio intelligitur quidem vocabulo ex legibus Romanis recepto; in yniuersum tamen iura dominii directi a iurisdictione feudali sunt secernenda. Quanquam enim haec ab eadem persona, domino et iudice exercita, iurisdictione feudali comprehensa dicantur, tamen magnum inter utrumque intercedit discrimen. Nam iura dominii directi ipsumque hoc dominium sine contouersia ex contractu feudali oritur et cuilibet domino, etiam rustico, competit, iurisdictione feudali alias desstituto, ut huius omnino sit feudum sine ipsius consensu alienatum revocare, hypothecae consensum praebere, seruitia contractu feudali comprehensa indicere, et alia iura etiam feudo aperto exercere. Placuit viris doctis horum iurium complexum vocare potestatem extraiudicialem, quanquam ipse magis iurisdictionem feudalem ex imperio et iurisdictione ordinaria natam, et iura dominii directi tam ex natura contractus feudalis, quam ex pactis adiectis aestimanda, secernere velim.⁶⁾ Quod si igitur de iurisdictione feudali disputamus, non iura dominii directi intelligimus, sed iura imperii eamque iurisdictionem, quam contentiosam vocant,

6) Potestatem domini extraiudicialem a iurisdictione feudali distinctam defendunt EYBENIVS de Caufis Feudal. Scđt. V. §. 4. LÜDER MENKEN de vi superioritat's territorialis in territoriis imperii clausis §. 43 p. 67. IAC.

REINHARTH de iurisdictionis allodialis et feudalis constitū §. VIII. IOH. FRID. KAYSER de causis feudalibus in iudicio disceptandis §. XXIII. aliquie plures.

cant, quanquam actus quidam, pede et modulo juris Romani aestimati, ad iurisdictionem voluntariam referri possunt. Ex quibus intelligi posse arbitror, fundamentum iurisdictionis feudalis in ordinaria esse ponendum, cum adhuc comprehendatur ordinaria iurisdictione vel auctoritate iudicis ordinarii exerceatur.

§. V.

De altero argumento, ex quo patet fundamentum iurisdictionis feudalis in ordinaria esse ponendum, differit subiuncta totius libelli distributione finibusque disputationis.

Alterum argumentorum genus, ad principium supra possum stabiliendum ex ipsa iurisdictionis feudalis origine cognoscitur. Iurisdictio enim feudalis est veluti surculus et germen iurisdictionis ordinariae, quae radicibus paulatim actis a stirpe reflecta proprium locum obtinuit, eaque incrementa cepit, ut ordinariae coexistere primamque originem negare videretur. Atque hoc ipsum est, quod nobis excolendum sumissimus argumentum. Tria in primis tempora distinguenda erint et tres iurisdictionis feudalis aetas, quibus adoleuit formamque suam accepit, secesserentiae. Prima quidem aetas ad illud tempus pertinet, quo instituta feudalia in cunis adhuc vagiebant, porrigiturque usque ad CONRADVM I. celeberrimamque illam anno CIOXXXVII. de feudis conditam legem; altera aetas a CONRADO I. inchoanda, qua iudicia feudalia omnino firmata et stabilita, sed iure magistratus et iurisdictionis ordinariae adhuc habita fuerunt, quod tam lege Conradina ipsa, quam moribus maiorum statutum obtentumque fuit; tertia aetas in seculum XII. praesertim XIII. incidit, quo auctis in immensum feudis per ciuiles istas medii aevi discordias, quae Germaniam nostram per plura secula ad internectionem fere afflixerent, feudisque extra territorium iurisdictionisque ordinariae districtum constitutis, fa-

Etum est, ut iudiciis feudalibus ista iurisdictionis ordinariae seu potestatis iudicariae portio, qua ius cognoscendi et definiendi causas feudales continetur, adhaerere et auctoritate publica a iurisdictione ordinaria segregari eidemque coexistere inciperet. Separata quidem hoc modo feudorum iurisdictio fuit, pristinum tamen fundamentum mansit, neque quilibet dominus directus, sed is tantum, qui iurisdictione ordinaria gaudet, iurisdictionis feudalis capax habetur, ita ut exercitium a dominio directo adhuc suspendatur. Iam autem incepit contentio de finibus iurisdictionis feudalis et ordinariae regundis. Nam quoad domini ipsi iudiciis praeerant, non quaerebatur quidem, quis sit iudex competens, sed disputabatur de natura causarum feudalium, ut de iudicio feudali formando constaret; iudiciis autem perpetuis inde a seculo XV. constitutis, altera quaestio saepe mota fuit, quod scilicet iudicium in causis feudalibus pro competente haberetur, pluribus ad iurisdictionem ordinariam exercendam constitutis. Evidem hoc loco unum tantummodo mihi demonstrandum sumo, videlicet quo modo paulatim iurisdictio feudalium ex iurisdictione ordinaria processerit. Tempus enim novissimum, quod hodiernam iurisdictionis feudalis formam, tam in imperio quam in territoriis, complectitur, extra limites nostros vagatur, ideoque disputationem intra tria ista tempora continebimus. Causas in primis rerum indagabimus, tabulis monumentisque medii aei ubique subiunctis, ut origines et progressus rei propositae plene cognoscantur.

CAPVT II.



CAPVT II.

HISTORIA IVRISDICTIONIS FEVDALIS EIVSQVE FORMA A PRIMIS FEVDORVM INITIIS VSQVE AD CONRADVM I.

§. VI.

De origine feudorum in uniuersum differit tam in Gallia, quam in Italia et Germania, expositis simul harum rerum causis et rationibus.

Magna semper virorum doctorum de origine feudorum fuit disputatio. Multae opiniones paulatim aut evanuerunt aut explosae fuerunt, et omnes fere hodie uno ore consentiunt, feuda ex beneficiis Germanorum Francorumque esse nata. Ego vero huic sententiae omnino subscribo, sed causam rationemque mutatorum beneficiorum in feuda ex una illa lege Conradina esse reperendam, non arbitror, verum regna distinguenda esse puto. Cum enim lex Conradina solis Italiam esset lata, quod vel causa legis et occasio, vel locus arque regnum, vel ipsa legis formula docet; sequitur sane, ut inde origines omnium feudorum non possint reperi. Tria tamen fere cohaerent regna, Gallia, Italia et Germania, quae eodem imperio sub Carolingis complexa, eadem fere rerum feudalium initia et quodammodo progressus ac fata habuerunt, quanquam historia feudorum etiam in his regnis distinguenda videatur.

1) IN GALLIA.

Quod ad Galliam attinet, feuda ibidem iam seculo VIII. imperante LUDOVICO PIO nata et regnante CAROLO SIMPLICE perfecta fuerunt. Duplex erat vassallorum genus, alterum quidem Ducum, Comitum, Episcoporum et Abbatum; alterum Regum et Imperatorum, qui inde vassii regii, et dominici,

nici, fideles Regis dicti fuerunt, id quod viri docti PETER DE MARCA Libro III. Marcae Hisp. cap. VIII. MVRATORIUS Antiq. Ital. med. acui T. VI. p. 35. et T. I. Diff. X. de vassis et vassallis, quam dissertationem IENICHEN Thes. Iur. Feud. T. III. p. 256. et 257. inserendam curauit; BVRIVS in Dilucidationibus Iuris Feud. secundum SCHILTERVM p. 346. annotauerunt. Vnum Locum adferam, ex quo instituta feudalia iam clare patent. CAPITVLARE COMPENDIENSE an. 757. in singulari populi consueta imperante PIPPINO sanctum cap. VI. ait: Homo Francus accepit beneficium de seniore suo. et duxit secum suum vasallum et postea fuit ibi mortuus ipse senior et dimisit ibi ipsum vasallum et post hoc accepit alius homo ipsum beneficium. Insignis sane locus. Nam senior, vassalus, et beneficium non solum memorantur, sed libertas adimendi beneficium inde simul intelligitur, atque adeo clara subvassallorum vestigia apparent. Distincta erat vtriusque vassallorum ordinis ratio, maiorque honos vassis regis, quam vassalis DUCUM et Comitum atque Episcoporum habebatur. Labante autem Regum maiestate et crescente primorum vassallorum, DUCUM et Comitum, potentia, Reges et Imperatores fere vassallis secundi ordinis fauebant, vt ipsos ad suas partes traherent, DUCUMQUE et Comitum arrogantiam auctoritatemque infringenter minuerentque. Quamobrem videmus vassallis minoribus auctoritate Regum atque ipsis legibus ius hereditarium in beneficiis suis fuisse tributum, Duces e contrario et primi ordinis vassallos statusque regni extorsisse hoc Regibus, tandemque patetis moribusque obtinuisse. Itaque primo loco beneficia minorum vassallorum in feuda fuerunt commutata, deinde etiam maiorum, quibus tamen Reges et Imperatores, quoad fieri potuit, restiterunt, probe memores potestatem suam eo valde immutatum iri.

Mutatio illa atque transformatio beneficiorum in feuda primum in Gallia facta est. CAPITVLARI an. 813. cap. 16 cawtum;

tum: quod nullus seniorem suum dimittat — excepto, si eum vult occidere, aut cum baculo caedere, vel uxorem aut filiam maculare, seu hereditatem ei tollere. At enim PRAECEPTO altero pro Hispanis dato an. 816. LVDOVICVS PIUS apud BALVZIVM T. I. Capitul. p. 572 sanxit: *Hi vero (scilicet Gothi ex Hispania profugi) qui postea venerunt (in Septimaniam) et se aut Comitibus aut Vassis nostris aut paribus suis commendauerunt, et ab eis terras ad habitandum acceperunt, sub quali convenientia atque conditione acceperunt, tali eas in futurum ET IPSI POSSIDEANT ET SVAE POSTERITATI DERE LINQVANT.* Quae quidem sanctio non potest non de feudis explicari, cum commendatio, qua fides vassalitica promittebatur et continebatur, terra ad habitandum colendumque concessa, id est beneficium, tandem in hac ipsa terra ius hereditarium commemoratur. Idem confecit CAROLVS SIMPLEX in PRAECEPTO pro Hispanis apud BALVZIVM T. II. p. 28. ubi cap. 5. Et si aliquis ex ipsis hominibus — alium id est Comitis aut Vicecomitis aut Vicarii aut cuiuslibet hominis senioratum elegerit, liberam habeat licentiam abeundi, veruntamen ex his, quae possidet, nihil habeat, nihilque secum ferat, sed omnia in dominium et potestatem prioris senioris plenissime revertantur, cui TABVLAE an. 856. cap. 12. et 13. T. II. p. 83. iungi possunt. Itaque ex hoc loco iam libertas refutandi beneficia intelligitur. ODO CLVGNICENSIS memoriae prodidit, Gewoldum, Comitem Aurelianensem, beneficia suis vassallis adimere parantem a Carolo simplici fuisse impedimentum; neque hoc patiebatur, inquit, ut quilibet senior beneficium a suo vassallo pro qualibet animi commotione posset auferre. Eodem Carolo regnante vassalli primi ordinis ius hereditarium, iam inde ab anno 843. statum, auctum eductumque plene obtinuerunt pacto publico, quod ex CAPITVLARI an. 877. apud BALVZIVM T. II. p. 263. cap. 9. et 10. clarissime cognoscitur. Causa et ratio princeps erat quidem Regis imbecillitas atque statuum potentia, sed Carolus simplex pacto publico omnia Statuum iura ideo

ideo etiam confirmauit, vt Status ad filii sui Ludouici partes perduceret. In hunc modum regnante. adhuc Carolidarum gente feuda per regnum Galliae iure hereditario constituta fuerunt.

2) IN ITALIA ET GERMANIA.

In Italia atque Germania feuda iure proprio et hereditario seculo XI. demum obtenta fuerunt. Raro quidem continebat, vt filii vassallorum feudis paternis exuerentur, moribus maiorum ita fere comparatis, vt filii praerogatiuum aliquam prae reliquis in munere publico et feudo haberent, erat tamen adhuc libera potestas domini, velletne filio defuncti vassalli munus paternum cum beneficio dare, an alium honorare. Etenim TACITVS iam de *Mor. Germ. cap. IV.* id obsernat, insignem nobilitatem aut magna patrum merita Principis dignationem etiam adolescentulis adsignare; quod tamen non ius tribuebat, sed incitamentum virtutis erat, vt iuuenes patrum facta generosa, si non superare, certe aequare stuperent, seque honore paterno dignos redderent. Comes quidam regnante Carolidarum gente apud MEICHELBECK *Histor. Fris. T. I. P. II. p. 115.* ait: *Si autem ALIQVIS DE FILIIS MEIS DIGNVS EVERIT, ut ad ministerium Comitis peruerenerit.* Paulatim autem hoc ius imperfetum, haec liberorum praerogatiua in morem et ius abiit, vt pleno perfectoque iure et munera et feuda a maioribus acquisita et obtenta postularentur. Hoc ius in Italia iam radices egerat ante CONRADVM I. sed cum eo imperante bellum civile in Italia oriretur, et milites maiores inter ac minores discordia exorta super iure feudorum hereditario decisionem Imperatoris exigeret; CONSTITUTIONEM CONRADVS A. anno 1037. fecit, (apud MVRATORIVM SS. Rer. Italic. P. II. T. I. p. 172. ex quo GEORGISCH Corp. Iur. Germ. p. 1275. eandem hausit, quamquam postea meliore manucripto idem MVRATORIVS usus fuit

fuit *Antiqu. Ital. medii aevi T. I. p. 609.* et apud **IENICHEN**
Thef. Tur. Feud. T. III. p. 311. et 312.) sanciuitque: *si aliquis miles*
sue de maioribus, sue de minoribus de hoc seculo migrauerit, filios
eius beneficium tenere. Quamobrem **WIPPO** in vita *Conradi Salicis*
apud PISTORIVM SS. Rer. Germ. T. III. p. 480. secundum edi-
tionem Struvianam, iudicat: Militum autem animos in hoc multum
attraxit, quod antiqua beneficia parentum nemini posterorum auferre
suflinit. Itaque omnino hac lege fundamenta feudorum et iu-
ris feudalis in Italia et regno Longobardico iacta fuerunt; latius
tamen haec constitutio mihi non videtur proferenda. Primum
enim inspicient patebit, legem penitus ad formulam regni Lon-
gobardici fluuisse accommodatam, vt in Germania applicatio fieri
non potuerit; deinde causa legis ad solos Italos spectabat, ideo-
que quid tum in Germania lege opus fuit? tandem etiam effe-
ctus id demonstrat. Iura enim succedendi hac lege fundata
fuerunt, atque si ad utrumque regnum pertinuisset, non posset
non in utroque regno idem esse succedendi fundamentum et iu-
ris feudalis harmonia, sed alia successionis feudalis ratio est in
Italia, alia in Germania, ideoque iam ab effectu colligitur
et intelligitur iura successionis feudalis non ex eodem fonte
manare.

In Germania non quidem ex lege Conradina repetenda est
feudorum constitutio, sed moribus maiorum paulatim ita effor-
mata et efficta fuerunt, vt lege aliqua generali opus non videre-
tur. Id certum est iam seculo XI. ius feudorum hereditarium in
Germania obtinuisse atque eriana ante eius rei vestigia deprehendi.
Nam, vt pauca monumenta legam, apud MARQV. HERRGOTT
Cod. Prob. Num. 71. ad Geneal. Aug. Dom. Habsb. Diplom. tabulis
an. 870 legitur: Convenit igitur Wippertum Domini regis vasallum
cum licentia Domini, regis Hludovici ut firmitates pari ratione conscri-
ptas sui perpetrarent Concambii fecit et fecerunt. Dedit namque me-
moratus Wippertus Domini regis vasallus in pago, qui dicitur Zu-

C

Zurich-

richgauge et in loco Velebach nuncupato II. hobas et casds cum curtis —
 de suo beneficio. Et accepit a supra nominato Abbatte — V. Hobas
 de terrā arabilī; NVM. 103. feudum caballinum memoratur his
 verbis: et Parafredum onustum saumate semel in anno Abbatii in ho-
 flem pergenti cum homine ipsum equum trahente praeflet. HENRI-
 CUS II. apud TOLNERVM Histor. Palat. Num. XXIII. tabulis
 an. 1023. ait: ea conditione beneficiauimus — ut ipsi et eorum here-
 des pro eodem Abbatte in expeditionem eant. Imperante CONRADO A.
 Ernestus, Alemaniae Dux, rebellis factus, sed Imperatori re-
 conciliatus in signum subiectionis urbem Weissenburg cum ter-
 ritoriis tradidit anno 1029. consensu vassallorum et ministerialium
 apud FALCKENSTEINIVM Cod. Antiqu. Nordgau. Dipl. Num.
 XII. vbi vassalli sibi tali modo cauent: Petentibus quoque clienti-
 bus atque assentientibus, eo videlicet tenore, ut infra quatuordecim dies
 licet eis excogitare, qualiter eidem regno apte possent contingere.
 Petebant itaque primum in hunc modum; optamus et obsecramus, Im-
 perator Auguste, ut IVRA BENEFICIORVM NOBIS FIRMENTVR
 PRAECEPTIS IMPERIALIS POTESTATIS. Deinde PRO FILIIS
 AC POSTERIS nostris efflagitamus, vt cum primam curiam — Ex
 quibus perspicitur ius hereditarium iam tum competitissē vassallis,
 sed cum in manus Imperatoris traderentur, iura praesertim be-
 neficiorum sibi rata et firma futura stipulati sunt, eamque ob
 causam codicilos super hac re petierunt, vt ne calumnia quadam
 aut iuris antiqui applicatione iura haec tenus possessione obtenta
 interuerterentur. Id tamen exinde intelligitur tam firmis radici-
 bus feudorum hereditatem nondum cohaesisse. Memoria enim
 beneficiorum anxios habebat vassallos, ne Imperator pristina re-
 fuscitaret iura, ideoque pacto et tabulis Caesareis recte sibi ab
 omni imputatione cauerunt. Posset quis in hunc modum singu-
 las Germaniae prouincias peragrare, inuestigaturus, quo tem-
 pore iura vassallorum haereditaria facta fuerint; neque dubito
 quin eodem fere tempore factum reperiatur. Ex quibus simul
 intel-

intelligitur, cur prouinciae et territoria Germaniae non eodem iure feudaliter vntantur. Neque enim una lege, sed moribus maiorum secundum prouincias iuris feudalis fundamenta fuerunt iacta. Nam *constitutio HENRICI VI.* quae a quibusdam hoc loco iactatur, cuiusque meminit *CHRONICON BELGICVM ad an. 1194.* atque *GERVASIVS TILBERIENSIS Otis Imperial. cap. 19.* apud *LEIBENITIVM SS. Rer. Brunsv. T. I. p. 93.* vim effectumque non habuit, Principibus Saxoniae praesertim contradicentibus, quod *GOBELINVS PERSONA Lib. VI. §. 61.* annotavit. Caeterum haec de feudis vassallorum priuatis intelligienda sunt. Nam feuda Italiae publica Capitanorum lege Conradina non continentur, atque etiam in Germania ius hereditarium serius videtur introductum, quod tamen cum ad origines superioritatis territorialis referatur, silentio praetereat.

Causam, cur feuda in Germania serius confecta quam in Gallia, *MONTESQVIUS de natura causisque legum Lib. XXXI. cap. 26-30.* et *ROBERTSONIVS in Historia Caroli V. T. II. p. 36.* recte in eo posuerunt, quod Reges Germaniae et Imperatores diutius, tam in Germania quam in Italia, imperio cum auctoritate et potestate praefuerunt, donec tandem, labante imperii disciplina, auctoritas quidem penes Imperatorem, vis autem et potestas penes Ordines Imperii esse coepit. Pedetentium maiora incrementa cepit res feudalis, quod vero ad nos non spectat. Quare cognitis feudorum originibus, videamus iurisdictionem feudalem.

§. VII.

Non existisse ante Conradum I. iurisdictionem feudalem differitur in uniuersum.

In originibus iurisdictionis feudalis cruendis duo secer-
nent videntur; iudicium parium et iurisdictione feudalis. Ne-

C 2 que

~~~~~

que enim ad iudicium feudale constituendum necesse est; ut iurisdictio sit habeaturque feudal is, sed iure magistratus et iurisdictionis ordinariae dominus iudicium feudale constituere potest, atque olim etiam debuit. Nam ab antiquissimis temporibus principium apud maiores nostros obtinuit, ut par parem iudicaret, aut saltim ne inferior iudicaret superiorem. Hoc enim dignitati, libertati et iuri Germanorum repugnare videbatur. At vero iudicium parium non semper ex iurisdictione speciali procedebat, sed saepius ex iurisdictione ordinaria, ut adeo plura parium iudicia ex eadem iurisdictione secundum diversas causarum qualitates constituta fuisse videantur. In hunc modum etiam diu stetit obtinuitque iudicium feudale sine iurisdictione propria, atque usque ad CONRADVM A. nulla reperi re mihi contigit iurisdictionis feudal is vestigia, quamquam omnino iudicij feudal is species et prima initia appareant. Etenim ea tempestate ii soli alere poterant vassallos, qui iurisdictionem aut iure magistratus, ut Duces, Comites, aut iure proprio et dominii; ut Episcopi, Abbates et Dynastae, exercabant. Vassalli eius iurisdictioni suberant, in cuius districtu habitabant, quamquam omnino interdum alium seniorem coluisse videantur.

**LIBRO IIII. CAPITVL. cap. 73.** haec constituta leguntur: *De vassis dominicis, qui adhuc intra casam seruiunt, et tamen beneficia habere noscuntur, statutum est, ut quicunque ex eis cum domino Imperatore domi remanserit, vassallos suos cassatos secum non retineat, sed cum Comite, cuius pagenes sunt, ire permittat.* Itaque hoc loco vassi dominici habent vassallos casatos et ab his Comes, qui ius per pagum reddit, distinguitur. Quamobrem regulam statuo: vassallos iudici ordinario paruisse, ita, ut et pace iurisdictionem eius agnoscerent, et bello signis eius subessent. Recte enim obseruauit MONTESQVIUS de natura causisque legum T. IV. Lib. XXX. cap. XVIII. eosdem belli pacisque apud maiores nostros fuisse magistratus, adeo, ut qui pace ius reddebat, bello exorto exer-

exercitu praeessent subditosque suos sub signis educerent. Quare vassalli in conuentibus iudiciorum adesse debebant; formabantque cum aliis subditis iudicium. Cum autem duplex esset vassalorum genus, alterum regiorum ac dominicorum, alterum Ducum, Comitum, Episcoporum, Abbatum; illi suberant aut Imperatori et Regi, Seniori suo, aut, in districtu habitantes, magistratui, Duci, Corniti eiusque iurisdictioni; adeo ut illi aequae atque Duces et Comites, Episcopi et Abbates ac Dynastæ Regem suum et seniorem et iudicem venerarentur. Quamobrem videmus et vassulos dominicos et reliquos in iudiciis ordinariis comparere, ut promiscuum iurisdictionis ordinariae exercitum tam in subditos, quam in vassallos omnino cognoscatur.

### §. VIII.

*Vassos et vassallos iurisdictioni ordinariae in omnibus causis paruisse probatur;*

#### I. EX LEGIBVS VETERVM GERMANORVM.

Principium, quod hoc loco posuimus, iurisdictionis ordinariae exercitum etiam ad vassallos districtus in omnibus causis suis prolatum, ex multiplice genere argumentorum cognoscitur, quae, ne confundantur legentesque locorum multitudine obruantur, omnino ad certos locos redigenda erunt. Leges veterum Germanorum saepe meminerunt vassallorum, neque tamen unquam singularis iurisdictionis, ut recte omnino mihi inde colligere videar, non existisset id temporis propriam feudorum iurisdictionem. *LEX SALICA secundum LINDENBROGII editionem Tit. LXXVI. cap. 1. apud GEORGISCH Corp. Iur. Germ. Antiqu. p. 133.* fancit: *Si ANTRVSTIO ANTRVSTIONEM DE QVAEVNQVE CAVSA ADMALLARE voluerit — eum rogare debet, ut ANTE IUDICEM AD MALLOBERGO de causa, quae imputatur ex hoc respondendo debeat conuenire. At si contumax est nec venit —*

C 3

*postea*

—

possea illum ad praesentiam Regis ad noctes XIV. rogare debet. —  
 Si ista omnia impluerit, qui eum admallat et ille, qui admallatur ad nullum placitum venire voluerit, tunc Rex ad quem manutum est, eum extra sermonem suum ponat. Ex quo cognoscitur Antrustionem ad iudicem ordinarium etiam a pari suo in quacunque causa fuisse vocatum, item autem propter contumaciam tandem ad Regem fuisse deuolutam. Antrustiones autem vassallos fuisse apud veteres Francos, atque eosdem, qui alias drudes et fideles vocantur, ex FORMVL A MARCVLF I XVIII. apud BALVZIVM T. II. p. 386. intelligitur, vbi: rectum est, vt qui nobis fidelitatem pollicentur illasam, nostro tueantur auxilios; et quia ille fidelis Deo propitio noster veniens ibi in palatio nostro una cum Arimannia sua IN MANV NOSTRA TRVSTEM ET FIDELITATEM NOBIS VISVS EST CONIVRASSE, propterea per praesens praeceptum decernimus ac iubemus, vt deinceps memoratus ille IN NVMERO ANTRVSTIONVM COMPVTTETVR. Atque omnino hi Antrustiones iam videntur habuisse beneficia fundosque, quae ab ipsa illa fide, pro qua obtinebantur, TRVSTES vocata fuerunt. CLOTHARIUS II. an. 595. apud BALVZIVM T. I. p. 19. cap. 3. sancit: quod si (latro) in truse inuenitur, medietatem compositionis trufis acquirat et capitale exigat a latrone; CAP. 12. p. 21. quem si in truse perinuenerit medietatem sibi vindicet vel delaturam. Inde intelligitur quod CAPITVLARI an. 779. cap. 14. sanctum legitur: de truse facienda nemo prafumat. Quamobrem singularem quidem ordinem constituebant vassalli apud Francos, nec tamen propria in ipsis erat senioris iurisdictio. Sunt praeterea multa alia loca, quae iurisdictionem ordinariam in vassallos confirmant. LIBRO IV. CAPITVL. cap. 4. caustum: de vassis nostris, qui ad marcham nostram constituti sunt custodiendam, aut in longinquis regionibus sua habent beneficia vel res proprias, vel etiam nobis assidue in palatio nostro seruunt, et ideo non possunt assidua custodire placita. Nam secundum CAPITVLARE an. 809. cap. 13, vassalli cum scabinis in omnibus placitis adesse debe-

decebant. LEX ALAMANN. Tit. XXXVI. cap. 5. apud GEORGISCH p. 212. ait: *Qualiscunque persona sit, aut vassus Ducis aut Comitis aut qualiscunque persona, nemo negligat ad ipsum placitum venire; et LEX BAIVVVARIORVM Tit. II. cap. 15. §. 1. QVI INFR A ILLVM COMITATVM MANENT, SIVE REGIS VASSI SIVE DVCIS, omnes ad placitum veniant.* Regis autem iurisdictioni primi ordinis vassi suberant. CAROLVS MAGNVS *Capitulari III.* an. 812. cap. 2. sancit: *vt Episcopi, Abbates, Comites, et potenteres quique, h causam inter se habuerint ac se pacificare noluerint, ad nostram iubentur venire praesentiam, neque illorum contentio aliubi finiatur.*

### §. VIII.

*Vassos et vassallos ad iurisdictionem districtus ordinariam referri, probatur;*

#### II.) EX DIPLOMATIBVS.

Magna omnino probationum vis ineſt chartis ac diplomatis bus antiqui et medii temporis. Haec enim auctoritate publica a viris rerum iuritumque peritissimis conscripta, a partibus agnita, non possunt non argumenta omni fide digna praebere. Exortar autem probatio omni exceptione maior, quaeque nullis dubitationibus conuelli potest aut minui et infringi, si et leges et tabulae rerum publicarum congruunt. In nostro argomento hoc evenit, vt inde non solum fortissimum principii supra constituti argumentum emergat, sed eadem veritas etiam silentio contraria confirmetur. Nam si iurisdictione feudalium iam rum exſtitifet, fane in tot diplomaticis mentio eius non potuisse non fieri. Probatio autem, quam ex tabulis publicis petimus, haec est. Quod si iurisdictione ordinariae eximuntur territoria clericorum, aut si aliis modis immunitas confirmatur; vassalli districtus exenti, simul exempti censemur, ita vt ordinaria Comitis Duciue iurisdictione

=====

Etio cesset, locumque sibi vindicet ordinaria immunitatis iurisdictio. Itaque ius cognoscendi causas vassallorum pro portione iurisdictionis ordinariae intra districtum territoriumue habebatur, vt cum iurisdictione ordinaria ad quemcunque transiret. **LUDOVICVS II.** Italiae atque Prouinciae Rex, TABVLIS an. 900. apud MVRATORIVM *Antiqu. Ital. Diff. III. T. I.* p. 87. ait: *electione — in nobis ab omnibus Episcopis, Marchionibus, Comitibus cunctisque idem maioris inferiorisque personae ordinibus facta — statuimus ut — nullus Comes, nullusque iudex vel quaelibet iudicaria potestas, neque magnae paruaeque<sup>3</sup> personae, quamlibet invasionem vel superstitionem, tam in rebus, familiis, pleibus, monasteriis, coloniis, liberis, alditionibus vel seruis, VASALLIS etiam omnibusque hominibus utriusque sexus, residentibus super res praefatae ecclesiae facere praesumat;* **CHARTA OTTONIS I.** an. 962. *T. VI.* p. 65. id aliquanto clarius edocet his verbis: *Omnes curtes et proprietates, quas pridem dignoscitur possidisse, et CVRTES, QVAE VSQVE MODO VASALLORVM DICEBANTVR. Concedimus et donamus ei, modisque omnibus corroboramus, omnes res, terras, possessiones, OMNESQVE ILLAS CVRTES, QVAS QVISQVE VSQVE MODO BENEFICIALI ORDINE DETENVIT ET QVAE VASALLORVM DICEBANTVR. Edicimus ut nullus Archiepiscopus, Episcopus, Marchio, Comes, Vicecomes, Sculdatio, Decanus noster, nosfrorumque militum miles, seu cuiuscunque ordinis persona — inuadere audeat siue clericum quemquam aut laicum, qui sub sui, ut diximus IURISDICTIONIS REGIMINE HABINT, sub obtentu siue occasione COMMENDATIONIS atque facultati temere fuscipere aut tenere contra illum — praesumat.* Denique ex codicilli CONRADI A. an. 1033. apud MVRATORIVM **T.I.**

*T. I. Diff. X.* idem perspicitur, atque Episcopi EPISTOLA ad LUDOVICVM Regem an. 858. apud BALVIZIVM T. II. p. 108. data iurisdictioni immunitatis vindicant praedia vassallorum his verbis: *Quapropter sicut et illae res et facultates de quibus viuunt clerici, ita et illae sub consecratione immunitatis sunt, de quibus debent militare vassalli.* Ex quibus intelligi posse arbitror, iurisdictionem clientelarem ea tempestate adhuc ordinaria iurisdictione fuisse comprehensam.

§. X.

*Vassos et vassallos iudici ordinario paruisse, probatur;*

III.) QVIA IUDICIIS ORDINARIIS ADSIDENT, IUDICANT, IUDICANTVR.

Iurisdictionis vis et potestas ponitur in primis in iure imperandi subditis auctoritate publica. Plenum autem sui suarumque facultatum arbitrium nunquam vni permisérunt Germani, ideoque exercitium iurisdictionis, non a solo iudice pendebat, sed necessario fieri debebat per adfessores legitimos. Hi quidem suberant iurisdictioni, ipsorum tamen erat cognoscere causam et ferre sententiam. In his adfessoribus in primis etiam computantur milites territoriorum et vassalli, adeo, ut ipsorum causae in iudiciis ordinariis cognoscantur definianturque. Nam cum iurisdictioni ordinariae subessent, efficiebatur, ut etiam iudiciorum essent participes, ideoque munere adfessoris fungerentur, ex quo simul intelligitur, iudicem ordinarium in vassallos semper fuisse competentem. CHRONICON LAVRISHAMENSE ad an. 776. apud FREHERVM SS. Rer. Germ. T. I. p. 98. exhibet CAROLI M. tabulas, vbi ait: *Tunc nos una cum fidelibus nostris id est, Hagino, -- comitibus, nec non et VASSIS NOSTRIS Theodorico ---- taliter vii fuiimus INDICAVISSE.* Apud MVRATORIVM T. I. Diff. VIII. p. 40r. iudicium habent: *Comites, iudices, MILITES DE SYPRASCRIPTO*

D

COMI-

~~~~~

COMITATV. *Nolitia Iudicati* an. 850. apud PETR. DE MÁRCA
App. Marcae Hisp. Num. XXI. ita infit: *In iudicio Ermidone et Rudulfo Vicecomitibus seu in praesentia — Vassos — Comitis seu et iudices, qui iussi sunt iudicare, — vel caeterorum hominum qui cum ipsis in ipso placito residebant.* *Tabulis an. 842.* apud MVRATORIVM T. II. p. 977. *iudicio Missi regii intersunt Episcopus cum suis sacerdotibus — Indices — vasalli Comitis — vasalli Episcopi, et an. 920. T. I. Diff. IV. p. 125.* scenam iudicii instruunt: *Ipse Princeps cum suis Gafindiis et iudicibus ceterisque suis fidelibus — VASSI DOMINI REGIS, — AC VASALLI PRAEDICTI PRAESVLIS et reliqui multi; CHARTA an. 930. T. II. Diff. XXXI. p. 926.* Hugo et Lotharius, Italiæ reges, Episcopi, Marchio, Vassi idem dominorum regum, iudices dominorum regum, vasalli saepe dicti Vberti marchionis — et reliqui plures. MABILLON de Re Dipl. Lib. VI. p. 531. tabulas an. 853. exhibet, quibus: *Cum in Dei nomine resideret Vdalricus Comes — vna cum Artaldo, Stephano et Teuderido Vassi Dominici; aliisque tabulis an. 870. p. 541. Cum in Dei nomine resideret Bernhardus Comes Marchio Missus — vna cum Leopardo et Adaaldo vassis Dominicis.* Plura exempla, si quis legere velit, aedat MVRATORIVM *Antiqu. Ital. med. aevi* T. I. p. 504. et 499. T. V. p. 910. p. 987. T. I. ubi diff. IX. et X. plures huius generis tabulae occurunt; BALVZIVM *Capitul. Reg. Franc.* T. II. App. Ad. Vet. p. 1394. EIVSDEM *Miscellanea* T. III. p. 64. T. IV. p. 422. LÜNINGVM *Corp. Iur. Feud.* T. II. p. 1686. vt plura alia loca taceam. Quamobrem de ipsa re nihil dubitationis esse potest.

§. XI.

Vestigia iudicij feudalis ante Conradum I. leguntur.

Iudicia apud maiores nostros fere conuentus erant gentis, ita vt et plures iudicij capaces adessent, et corona populi circumstaret. Non omnes, qui aderant iudicium et adiutorum munere fungen-

fungebantur, sed optimi quique legebantur, qui causam co-
 gnoscerent litemque dirimerent. Inde selecti iudices, qui ro-
 grantur sententiam, feruntque suffragia. *Notitia iudicati an. 994.*
 apud PETRVM DE MARCA *App. num. 123. p. 948.* ita incipit: *Dum*
residebat nobilis matrona Ermengardis Comitissa in Comitatu in valle
Asperi in Castro nouo una cum filio suo Berengario Episcopo ---- nec
non et cum nuru sua Totade Comitissa et cum suis proceribus, qui in
prædicto commandant comitatu, id est Oliba Viucomes - - - - et
Salamone Saione, sev IVDICIBVS, qui IVSSI SVNT NEGOTIA
SECVLARIA IVDICARE et legibus definire id est - - et aliis multis
bonis hominibus, qui ibidem erant congregati. Secundum CHAR-
TAM an. 1019. Num. 181. multi quidem nobiles in iudicio congregati
*sunt, sed sententiam pronunciant *creati iudices*. In legendis*
his iudicibus ratio rei causarumque habebatur, vt quaestione de
persona singularis cuiusdam ordinis mota, non promiscue lege-
rentur adesseores, sed feligerentur reo pares. Atque in hunc
modum iudicium feudale cum ipsis vassallis beneficiisque natum
videtur. Vassalli enim mox singularem ordinem constituer coe-
perunt, quod iam Antrustionum ordo apud Salios docet, ideo-
que non quilibet esse poterat index, sed par parem iudicare de-
bebat, quod, cum omnium ordinum homines in iudiciis ordi-
nariis adesse solerent, tantas non habebat difficultates. Quam-
obrem senior iurisdictionem exercebat in vassallos, iudicium pa-
rium in causis beneficiis constituebat, at vero nihil, neque ex
contractu neque ex nexus clientelari, sed omnia iure magistratus
et iurisdictionis ordinariae peragebantur. Vassalli iam tum Pa-
res dicebantur, quod locus LIBRO III. CAPITVL. cap. 71. apud BA-
*LVZIVM T. I. p. 767. indicat, vbi: *Quicunque ex his, qui benefi-**

cium Principis habent, Parem suum contra hostes communes in exercitu
pergentem dimiserit et cum eo ire vel flare notuerit, honorem suum et be-
neficium perdat; CHARTA an. 879. apud PETR. DE MARCA p. 808.
--- omnes Pares illorum in iudicio Berani et Longobardi disstringente

~~~~~

eos Tractimiro Saione; TABVLIS an. 843. p. 779. plures quidem iudicio adfident, causam tamen cognoscunt sententiamque concipiunt pares. Ibi enim: *Tunc vero supra scripti vassi dominici, vicedomini vel iudices interrogauimus, quid ad hoc responderent --- et tum supra scripti vassi, vicedomini vel iudices hanc causam pariter exquisiuimus --- decreuimus iudicium et ordinauimus.* CAPITVLARIA CAROLI CALVI Tit. XIX. cap. 10. apud BALVZIVM T. II. p. 82. fine controuersia meminerunt iudicij feudalij his verbis: *Sed si talis est causa, ut inde illum familiariter non debeat ammonere, et ante suos Pares illum in rectam rationem mittat et ille, qui debitum paetum et rectam legem et debitam Seniori reuerentiam non vult exhibere et obseruare, iustum iustitiae iudicium sustineat. Et si sustinere non voluerit et contumax et rebellis extiterit et conuersti non potuerit a nostra omnium societate et regno ab omnibus expellatur. Et si Senior noster legem unicuique debitam --- unicuique in suo ordine conservare non voluerit et ammonitus a suis fidelibus suam intentionem non voluerit --- nullus suum Parem dimittat, ut contra suam legem et rectam rationem et iustum iudicium, etiam si voluerit, quod ab sit! rex noster alicui facere non posset.* Multa sane ex hoc loco intelliguntur, primo quidem vassallus propter laesam reuerentiam et fidelitatem Seniori debitam iudicium parium subire debet, quod si detrectat, beneficio exutus bannoque affectus regno proscriptur; deinde dominus quodammodo iudicio fidelium subest, non quasi his iurisdictio in Seniorem competat, sed vt admonere possint dominum de iustitia administranda exhibendaque vassallis, adeo vt, si admonitus non desistat facere iniuriam pactaque infringere, vassalli fide et obedientia liberi sibi consulere possint. Quod quidem caput multa iuris feudalij initia continet, sed nolo extra limites vagari, cum eodem libello omnia comprehendendi non possunt. Talius iudicij meminit CHRONICON CAMERACENSE Lib. III. cap. 75. ubi haec: *mandauit igitur Episcopus ei, (Hugoni) non semel, sed plus vice tertia, ut ante conspectum eius veniens praesentibus com-*

pari-

paribus suis rectum flaret de iustitia sua, ipse vero crebro sub nomine terrae suae et infidelitate quam iurauerat commonitus ad ultimum ante conspectum domini sui praesentibus comparibus suis venit, sed de quibuscumque interpellatus est rectum facere nolens, iniustior, quam veniret, recessit; unde compares eius et alii quam plurimi nobiles, qui communis utriusque causa huic placito interfuerunt Hugonem reum vocantes, terram, quam de Episcopo tenebat, ei ab iudicauere. Iudicium Thassilonis, Bauariae Ducis, exemplum etiam iudicij feudalis praebet. ANNALES enim LAVRISHEIMENSES ad an. 757. memoriae prodiderunt; Thassilonem, Ducem Bauariorum, cum primoribus gentis suae Compendium venisse et more Francico in manus regis iuassati cum manibus suis semetipsum commendasse, fidelitatemque tam ipsi regi Pipino, quam filiis eius Carolo et Carolomanno iureirando super corpus S. Dionysii promisso; sed fidem fregit non solum anno 763. sed etiam 781 et quanquam renouato sacramento et datis XII. ob sidibus in gratiam receptus fuit a Carolo Magno, mox tamen fidei immemor an. 787. defecit; sed Carolo cum exercitu Francorum aduenienti supplex factus est, et secundum ANNALES NAZARIANOS ad an. 787. reddidit ei cum baculo ipsam patriam, in cuius capite similitudo hominis erat, et EFFECTVS EST VASSVS EIUS et filium suum Theodonem dedit ei ob idem. At vero sequente anno denuo rebellauit, Hunnis adeo aduersus Carolum, Regem et Seniorem suum, concitatis. Carolus M. generalem populi sui in villa Ingelheim indixit conuentum et secundum ANNALES LAVRISHEIMENSES ad an. 788. Thassilonem ducem (vassum) scut et ceteros vasallos suos (Caroli regis) in eodem adesse iussit conuentu. Itaque Franci et Boiorum et Longobardi et alii, habito Parium iudicio, Thassilonem laesae maiestatis reum capitis damnarunt, quam sententiam Carolus ita temperauit, ut ducatu exutus in monasterium detruderetur. Ex quo perspicitur ne Carolum quidem Magnum, Francorum Regem, de vassis suis iudicasse, sed iudicium imperii et regnum proceribus detulisse. Haec tenuis

D 3

de

iudicio parium moribus maiorum quidem instituto , nec tamen  
plene formato et efficto ; sed iam sequitur altera aetas , qua iudi-  
cium parium formatum et omnibus numeris absolutum appetet ,  
quanquam iurisdictionis ordinaria adhuc in eodem exercetur iudi-  
cio . Ipsam historiam huius temporis videamus .

### CAPVT III.

#### HISTORIA IVRISDICTIONIS FEVDALIS ET FORMA IUDICII PARIVM A CONSTITUTIONE CONRADINA AN. MXXXVII. VSQVE AD IVRISDI- CTIONEM FEVDALEM EX ORDINARIA IVRIS- DICTIONE PROPAGATAM ET LEGIBVS FVNDATA M PROPONITVR.

##### §. XII.

*Iudicium Parium constitutione Conradi I. an. 1037. fundatur et con-  
firmatur ita tamen , vt adhuc iure magistratus et iurisdictionis  
ordinariae habeatur .*

Alterum iurisdictionis feudalis tempus a celeberrima illa  
CONRADI A. lege in obsidione Mediolanensi sancita inchoamus .  
Iudicium Parium hucusque obtinuerat quidem moribus maiorum  
etiam in causis clientelaribus , quemadmodum feudorum initia  
ante iam deprehenduntur . At vero cum domini aegre  
ferrent crescentia vassallorum iura , et praesertim primi ordinis  
vassalli , Capitanei , omnia in pristino statu reponere tentarent ,  
atque feuda vassallis vel pro lubitu adimere vel ope iurisdictionis  
recuperare pararent , nullo Parium iudicio constituto aut causa  
aliqua interueniente ; factum est , vt milites , seditione concitata ,  
vi armisque se feudorumque suorum possessionem contra Capi-  
taneos

taneos iurisdictionisque abusum tuerentur. WIPPO in *Vita Conradi A apud PISTORIVM T. III. p. 480.* eodem tempore, inquit, magna et modernis temporibus inaudita confusio facta est Italiae, propter coniuraciones, quas fecerat populus contra Principes. Coniurauerant enim omnes valvassores Italiae et gregarii milites aduersus dominos suos (Capitaneos) et omnes minores contra maiores, ut non patarentur aliquid inultum sibi accidere a Dominis suis supra voluntatem ipsorum, dicentes; si Imperator eorum nollet venire, ipsi per se legem sibimet facerent. Hoc cum nunciatum esset Imperatori fertur dixisse; si Italia modo esurit legem;

Concedente Deo bene legibus hanc saticho.

Triplex ea tempestate adhuc in regno Longobardico erat vas-  
fallorum ordo, Capitanei scilicet, qui seniores sensu quodam emi-  
nenti dicuntur, Valuassores, qui Valuassores maiores atque adeo  
Capitanei dicti fuerunt; tandem milites gregarii, qui postea  
quarto vassallorum ordine constituto, et valuassinis in ius feuda-  
le receptis, Valuassores minores dicti fuerunt. Itaque agebatur  
quaestio et discordia, inter Capitaneos et milites, tam Valuassos-  
res, quam milites gregarios, atque omnino causa in iure feuda-  
li, moribus quidem iam constituto nec legibus tamen firmato,  
quaerenda est. Quamobrem cum Capitanei haec iura interuertere,  
vassallosque sine legali iudicio disuovere pararent; consurgebant  
omnes milites, ut non patarentur aliquid inultum sibi accidere a Do-  
minis (Senioribus Capitaneis) supra voluntatem ipsorum, non ex  
arbitrio et licentia cuiuscumque aestimandam, sed in legitimo Parium  
iudicio declarandam. Quamobrem infracta et interversa Parium  
iudicia, in quibus libera erat vassallorum voluntas, quibusque  
feuda sua queri et legitima ratione defendere poterant, praeci-  
cipuum seditionis causam praebuerunt. Itaque CONRADVS IM-  
PERATOR AVGUSTVS successionem fidelem firmauit, deinde  
autem, ne callida et malitiosa iuris interpretatione iura constituta  
elude-

~~~~~

eluderentur, iudicium Parium auctoritate legis constituit, vt ne vassallus feudo excideret, nisi ex causa legitima in iudicio Parium cognita. Verba legis haec sunt:

„Notum esse volumus, quod nos ad reconciliandos animos seniorum et militum, vt ad iniucem inueniantur concordes et vt fideliter et perseueranter nobis et suis senioribus seruiant deuote, praecipimus et firmiter statuimus, vt nullus miles Episcoporum, Abbatum, Abbatissarum aut Marchionum vel Comitum vel omnium qui beneficium de nostris publicis bonis aut de ecclesiarum praediis tener nunc, aut tenuerit vel haec tenus iniuste perdidit, tam de nostris maioribus quam et eorum militibus sine certa et conuicta culpa suum beneficium perdat, nisi secundum constitutionem antecessorum nostrorum et iudicium Parium suorum.

Fundatur itaque et firmatur iudicium feudale praesertim eo casu, si vassallus a domino reus feloniae agatur feudoque priuari debeat, quo quod moris iam fuerat, legis factum est. At vero nihil hic cauetur de iurisdictione feudali, ideoque colligimus, iurisdictionem ordinariam adhuc in feudis suis exercitam, iudiciumque feudale, non ex propria feudorum iurisdictione, sed iure magistratus et iurisdictionis ordinariae suis constitutum. Quamobrem IUDICIVM FEVDALE adhuc EST EXERCITIVM IURISDICTIONIS ORDINARIAE IN CAVSIS FEVDALIBVS, praesertim si de amittendo propter culpam aliquam feudo queratur, IN CONSESSV PARIVM INSTITVM. Argumenta ex diplomatis huius aevi repetam, vt simul hoc legis Conradinae caput illustretur, quod multi praeterireunt, cum tamen in iurisdictione feudali magni omnino momenti videatur.

§. XIII.

§. XIII.

Iurisdictionem feudalem ea tempestate iurisdictione ordinaria adhuc fuisse complexam, probatur;

I.) EX IURISDICTIONE ORDINARIA CAPITANEORVM PER DISTRICTVM, QVA VASSALLI ETIAM COMPREHENDVNTVR.

Seniores, quibus CONRADVS A. constitutione sua in primis iniunxit, utne vassallum aliquem feudo deiicerent, nisi convocato Parium iudicio auditaque causa, omnes sunt iudices territoriorum ordinarii. Quanquam enim antiquissimis temporibus Duces, Comites et Marchiones praesertim iuri dicundo pace praeerant, paulatim tamen Archiepiscopi, Episcopi, Abbates et Abbatissae exemptionibus Imperatorum eandem iurisdictionem in praediis territoriisque suis obtinuerunt. Iurisdictionem ordinariam in vassallos districtus etiam fuisse exercitam, supra iam demonstrauimus, ideoque efficitur, ut iudex ordinarius eosque pro competenti etiam in causis vassallorum habeatur, quoad mutatione non probatur. CONRADVS IMP. nihil ista lege mutauit, ideoque nihil dubitationis habere potest, quin iurisdictione in feuda iure antiquo aestimetur. Atque id ipsum multa diplomata docent, quibus seniores perpetuo, ut ordinarii iudices, memorantur, et vassalli ipsorum iurisdictioni subesse dicuntur, magno argumento, praeter iudicium Parium lege Conradina nihil fuisse sanctum. Otto III. an. 986. apud Vghelli Italiae Sacrae T. IV. p. 843. praecipit: ut nullus Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Caſtaldo, nullaque iudicaria potestas ---- et an. 996. p. 983. iubet: ut nullus Episcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Index Caſtaldus, Sculdaſius, Decanus, nullus superioris aut inferioris ordinis procurator. — HENRICVS II. an. 1014. p. 734. ait: nullus Dux, Marchio, Episcopus, Comes, Vicecomes, Caſtaldo, Senator seu quaelibet nostri imperii aliqua persona ma-

E

gna

—————

gnā vel parua — et CONRADVS IMP. an. 1026. T. V. p. 284. nullus Dux, Marchio, Archiepiscopus, Episcopus, Comes, Vicecomes, nullus Latinus nullus Teutonicus nec aliqua magna paruaque persona — potro in TABVLIS an. 1116. T. IV. p. 599. nullus Archiepiscopus, Episcopus, Marchio, Comes, Vicecomes, Gafaldio, Scultator, Abbas, seu aliqua magna vel parua regni nostri persona, et an. 1164. p. 670. ut nullus Archiepiscopus, non Episcopus, non Dux, non Marchio, non Comes, non Vicecomes, nulla ciuitas, non potestas, non rectores sive Consules, non Capitaneus, non Gafaldio non sculdaehius. Plura huius generis diplomata exstant apud MVRATORIUM vt T. I. Antiqu. Italic. Diff. XIII. p. 661. tabulis an. 942. OTTO I. ait: iubemus, vt nullus iudicariae potestatis Dux, Marchio, Comes Vicecomes, scudassio, aut quilibet publicus Exactor, neque persona aliqua magna vel parua, in re ipsius ecclesiae placitum tenere praesumat, et an. 1022. p. 193. Volumus vt iudicet et distingat (Archiepiscopus Salernitanus) sine ulla partis publicae contraritate — iubemus, vt nullus Dominus, Princeps, Straticho, Marchio, Episcopus, Comes, Vicecomes, nullaque nostri regni magna vel parua persona — et CONRADVS an. 1037. p. 348. interdicimus, inquit, vt nullus Dux, Archiepiscopus, Episcopus, Marchio, Comes, Vicecomes, Sculdatius, Gafaldio aut aliqua nostri imperii magna paruaque persona inquietare seu legem facere aut placitum tenere praesumat; quibus vnum locum addam T. II. p. 945. vbi TABVLIS an. 1177. seilicet, vt nullus Patriarcha, Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Capitaneus, Vauassor, Aduocatus, Gafaldio, villicus, Decanus, vel aliqua magna paruaque persona — sine legali iudicio disuestire audeat. Si quis plura cupiat, conferri possunt tabulae apud MVRATORIUM T. V. p. 196. T. IV. p. 685. T. I. p. 60. apud LÜNINGIVM Cod. Ital. Dipl. T. V. p. 1530. p. 1583. VGHELLI Ital. Sacr. T. V. p. 443. vt alia taceam loca. Quamobrem patere arbitror, senioribus, vt iudicibus ordinariis, suisse iniunctum, vt iudicia Parium in causis vassallorum constituerent.

Iuris-

Iurisdictionem autem ordinariam etiam in vassallos fuisse extensam, ex multis diplomatibus probari potest, sed pauca allegasse sufficiat. TABVLIS AN. 1090. HENRICVS IV. apud MVRA TORIVM T. I. Diff. V. p. 223. ait: *insuper concedimus et mandamus statuentes, ut omnes homines praesentes et futuri tam in praediis nostra terra Eboli, quam de casali Liciniani vasalli Archiepiscopi saepe dicti habitantes, sint in praediis terra Eboli et in pertinentiis suis perpetuo liberi et exempti ab omni datione et ab omni iure directrue --- et ut idem homines vassalli Archiepiscopi supradicti de omni quaestione et placito, quae inter se habuerint vel contra eos quomodocunque mouentur ab aliis semper coram Baulis et iudicibus praedicti domini Archiepiscopi et successorum eius atque memorati Archiepiscopi debent libere conueniri. Propter quod concedimus ei curiam in terra nostra Eboli super ipsis semper regere et habere secundum quod eam ipsum Archiepiscopum in ipsa terra nostra Eboli nouimus habuisse hactenus et habere.* INSTRVMENTO AN. 1232. T. I. Diff. XII. p. 68. seqq. venduntur possessiones, --- cum omni iure et iurisdictione et actione, domino et honore, et tam in terris, quam in vineis, vassallis, filiis. Marchiones Malefinae diuidunt inter se terras aequis portionibus T. I. p. 340. --- quod terrae et possessiones remaneant in vassallos et vassalli recognoscant et teneant feudum ab eo, in cuius erunt vel venerint quis iurisdictione esset alterius. Ex quibus chartis id certissime efficitur, vt iurisdictione ordinaria in vassallos etiam fuerit exercita, et cum nulla mentio iurisdictionis feudalnis iniciatur, colligimus, singularem feudorum ea tempestate nondum existisse iurisdictionem. IOH. FR. SCHANNAT Client. Fuld. cap. III. §. 3. p. 45. inter priuilegia ecclesiae Fuldense ab OTTONE I. tributa refert iurisdictionem feudalem, sed est iurisdictione ordinaria in vassallos confirmata.

 §. XIII.

*Iurisdictionem feudalem ea tempestate adhuc iurisdictione ordinaria
fuisse comprehensam, probatur;*

II) EX IUDICIO ORDINARIO ET GENERALI PROMISCVAE IN VASSALLOS EXERCITO.

Alterum argumentum ex ipso iurisdictionis ordinariae in vassallos exercitio intelligitur. Cum enim supra iam demonstravimus, iurisdictionem ordinariam in vassallos fuisse exercitam, quanquam vestigia iudicij feudalis id temporis iam apparentia non negauerimus; efficitur, ut post legem Conradiam non possit non eadem forma obtinere, cum nullibi mutata legatur, nisi, quod quaestione de feudo amittendo mota, causa huius rei in iudicio feudali et confessu Parium esset decidenda. Diplomata principium positum egregie confirmant, argumentumque praebent fortissimum, iudicem ordinarium in causis vassallorum fuisse competentem. CONRADVS I. charta an. 1038. apud MATORIVM T. I. Diff. VIII. p. 445. et T. VI. p. 41. ait: *Concedimus (Episcopo Mutinensi) quidquid ad nostrum ius pertinere videtur terris scilicet et omnem districtum — et per hoc nostrae confirmationis praeceptum de nostro et regni iure et dominio in praefatae sanctae Mutinensis ecclesiae ius et dominium omnino transfundimus ac delegamus praedictum districtum praefati Comitatus — vel Comitalia vel Vicecomitalia — ea videlicet ratione, quatenus dominus Iago, venerabilis Episcopus, qui eidem ecclesiae praesidere videtur, suique successores potestatem illic habeant per se aut per suos Missos judicandi, disstringendi, placitum tenendi, — veluti in nostra aut Marchionum vel Comitum fuisse præsentia, abhinc remota omni nostra nostrorumque successorum omniumque hominum contradictione. Igitur quicunque infra praeditam urbem vel supradictum Comitatum vel in eius prouincia in integrum seu*

seu in praedictis cortibus et castellis habitator extiterit aut castellaverit, nec non vasalli eiusdem comitatus, non in praesentia aliorum Comitum et Marchionum vel Missorum nostrorum eorum lites aliter agere vel illo modo dissimiri liceat, nisi ante Ingensem, reverendissimum Praefulem suosque successores seu eorum legatos. Iubemus ut deinceps nullus Dux, Marchio, Comes, — praedictam sanctam Dei sedem eiusque Vicarios disuestire, molestare, aut inquietare, mansonaticum facere, reloneum, dissidium, Placitum, aut aliam quamlibet functionem exigere seu de praedictis rbus facere violentiam audeat. Ex qua vna tabula iam intelligitur vassallos iudicis ordinariis subfuisse etiam in causis feudalibus, id quod plura alia diploma confirmant. CHARTA an. 1044. apud MVRATORIVM T. VI. p. 57. haec memorantur: Adol-garius Cancellarius et Missus gloriissimi et piissimi Regis Henrici omnibus militibus, vassoribus omniq[ue] populo in Episcopatu Cremonensi seu in Comitatu habitantibus, nec non curulis ciubus tam maioribus, quam minoribus ex parte Senioris nostri, quasi ex ore suo, cuius vice in regno sumus, praecipiendo iubemus, ut quocunque die vel tempore Hubaldus, Cremonensis Episcopus, placitum tenevere voluerit, omnes communiter conueniatis et per eum, sicut regum et iustum est, vos constringatis, si quis autem ira rebellis extiterit, ut venire ad placitum ab eo condicium noluerit, aut per eum constringi recusauerit e.c. — In codicillis an. 1045. T. IV. p. 9, dum — ciuitate Mediolanensi adesse dominus Azo, Marelio et Comes istius ciuitatis, ad singulorum hominum iustitiam faciendam et deliberandam, RESEDENTIEVS CVM EO — VASALLI DE SVPRASCRIBTA MARCHA et reliqui plures; et secundum chartam an. 1125. T. V. p. 1027. Archiepiscopus Mediolanensis iudicium habet in praesentia, — ac reliquorum honorum hominum, tam Capitaneorum, quam Vavassorum. Plura omnino existant diploma vel apud MVRATORIVM, T. I. Diff. V. p. 223. vel apud VGHELLI T. IV. p. 663. p. 1048. vel apud PE-iE. 3 TRVM

—————

T R V M D E M A R C A Append. Marcae Hisp. num. CCCX. ex quibus idem intelligitur, atque inuestituram ad eo in iudiciis ordinariis factam tabulae an. 1225. apud **MVRATORIVM T. I. Diff. X.** referunt: *Dominus dictum Bonifacium Comitem Palatinum de praedito feudo et terris et rebus iudicis per Coppam argenteam inuestiuit. Acta sunt haec coram domino — domino — iudicibus ordinariis praesentibus.*

§. XV.

Iurisdictionem feudalem ea tempestate adhuc ordinaria iurisdictione fuisse comprehensam, probatur;

**III) EX APPELLATIONIBVS AD IMPERATOREM ET
IVDICEM SUPERIOREM ORDINARIVM ETIAM IN
CAVSI FEUDALIBVS INTERPONENDIS.**

Iudiciorum iurisdictionumque forma apud Germanos haec erat, vt alterum alteri esset subiectum et index superior ex ipsa fere iurisdictione imperium aliquod in inferiorem, iurisdictionisque exercitium haberet, eiusque esset curare, vt ne cui iniuria in administrando iure fieret. Atque inde fundamentum et ratio appellationum ad superiorem iudicem interponendarum repetenda et ius corrigendi sententiam. Neminem fugit, quantum discrepant inter se virorum doctorum sententiae de appellationibus in causa feudali interponendis, praesertim, si dominus iurisdictionem feudalem extra curtem habeat exerceatque; sed eo tempore, quo lex illa Conrada ferebatur, disciplina feudalismus adhuc intra fines iurisdictionis ordinariae continebatur, vt appellatio etiam in causis feudalibus ad superiorem iudicem, qui ex forma iurisdictionis tamen simul senior esse solebat, interponeretur. Verba legis haec sunt:

„Si

„Si contentio emergerit inter Seniorem et militem, quanvis
 „pares iudicauerint illum suo beneficio carere debere et ille
 „dixerit hoc iniuste vel per odium factum esse, ipse suum
 „beneficium teneat, donec senior et ille, quem culpat cum
 „paribus ad nostram praesentiam veniant, et ibi causa iuste
 „determinetur. Senior vero et miles, qui culpatur, qui ad
 „nos venire debuerint, sex hebdomadas antequam iter in-
 „cipiat, ei cum quo litigauerint innotescat.“

Sanctio de eo casu concepta fuit, si inter Seniorem Capitanum
 et militem aliquem seu vassallum lite exorta, a sententia Parium
 appellatio ad Imperatorem interponatur, ut ne executio sententiae
 pendente appellatione fiat, aut vis adhibeatur. Imperator ad se
 appellationem fieri debere ait, nulla causae ciuilis feudalisque fa-
 eta distinctione. Quamobrem hic non rationem dominii directi su-
 perioris haberi arbitror, sed iurisdictionis Caesareae in regno Ita-
 liae. Id enim temporis in prouocationibus recipiendis feudales
 ciuilesque causae nondum fecernebantur, quod vna charta illu-
 strabo.

TABVLIS an. 1193. apud MVRATORIVM T. IV. p.
 471. quo HENRICVS VI. populm Regensem in gratiam reci-
 pit, haec inter alias resertur conditiones: nec querimoniam scri-
 ptam vel non scriptam ab aliquo vassallo Curiae, vel ab aliquo, qui
 non sit vassalus, recipiemus occasione huius facili.

Triplex erat appellationum interponendarum et recipienda-
 rum ratio, primum quidem prouocatio fieri poterat ad ipsum
 Imperatorem, in primis in Italia praesentem; deinde etiam ad
 Legatum Augustalem, Missumue dominicum, vice sacra fungen-
 tem; tandem etiam, vel propter absentiam Imperatoris vel ut
 sumtibus parceretur, iudex recipiendarum cognoscendarumque
 appellationum in certa prouincia Imperatoris auctoritate constitui
 solebat, ad quem appellationes fieri poterant.

Codicillis an. 1186.
 et 1187. apud MVRATORIVM T. IV. Diff. L. p. 477. haec sunt:
 Ego Marchio commissis nobis per Imperatorem appellationibus totius

Paduae

Paduae atque districtus. Hactenus de Senioribus Capitaneis, cum autem Valuassores maiores etiam suos milites districtumque haberent, ex quibus vassallos suos ad signa Capitaneorum educerent, sequitur, ut etiam de horum iurisdictione feudalium ex lege Conradina exponam.

§. XVI.

Valuassores maiores iurisdictionem ordinariam exercere per districtum eidemque subesse vassallos, probatur;

I) EX LEGIEBUS ANTIQVIS ET TAEVLIS MEDIE
AEVI ATQVE ANALOGIA IVRIS ET
IVRISDICTIONIS.

Triplex erat in regno Italiae vassallorum ordo, Capitanei scilicet seu immediati regni Longobardici vassalli, Valuassores maiores atque minores seu milites. In Valuassoribus maioribus duplex relatio mihi distinguenda videtur, altera civilis, altera feudalis. LIBRO FEVDORVM II. Tit. X. ita definitur: *Qui vero a Principe vel ab aliqua Potestate de plebe aliqua vel plebis parte per feudum est inuestitus, is capitaneus appellatur, qui proprius valuassores maiores olim, (aevo Conradi A.) appellabantur.* Ex quibus omnino duo intelliguntur, unum quidem Valuassores hos fuisse Ducum, Comitum, Marchionum, aliorumque primi ordinis vassallorum vassallos, deinde inuestitos fuisse non singulari praedio, sed plebe aliqua vel plebis parte, id est, vniuersitate aliqua et districtu vassallorum. At vero quaeritur, quae fuerit Vallorum maiorum in plebem districtumque suum potestas; quod equidem hoc modo definiendum esse existimo. Primum quidem vassalli per districtum ipsis suberant, ut relati erga hos omnino domini et seniores haberentur. LIBRO I. F. Tit. I. haec sunt: *Dux, Marchio et Comes similiter feudum dare possunt, qui proprius regni vel*

vel regis Capitanei dicuntur. Sunt et alii, qui ab ipsis feuda accipiunt, qui proprie regis vel regni Valuassores dicuntur, sed hodie Capitanei appellantur, qui et ipsi feuda dare possunt. Deinde habebant in districtu suo iurisdictionem ordinariam et regimen ciuile, quod tam ad vassallos, quam ad reliquos subditos porrigebatur; erantque Valuassores maiores, si plena definitione debeat comprehendendi, magistratus auctoritate Imperatoris per districtum aliquem minorem ea lege constituti, ut iurisdictionem regimenter haberent in subditos vassallosque suos, pace tamen belloque Seniori suo subessent. Etenim inuestiebantur territorio particulari cum iure magistratus per districtum; pace Senior, tanquam index superior et magistratus ipsius Regis iurisdictionem in eos habebat atque ius inspiciendi curandique, ne iniuria subditis vassallisque inferretur; bello idem Senior erat Capitaneus Regis atque Valuassoribus suis eorumque vassallis in exercitu Regis imperabat, omnesque sub signo suo habebat, ut Dux et Caput exercitus, vnde Capitaneus. At vero cum ipsis hi Valuassores in vassallos suos imperium pace belloque exercent eosque sub signis suis educerent ad exercitum Regis; factum est, ut paulatim Capitaneorum nomen afflumerent. Ius Feudale Longobardicum ubique fere rationem habet nexus clientelaris et parcam facit nexus ciuilis regiminisque mentionem, ideoque haec breui persequar. CAROLVS M. Capitulari an. 770. cap. 21. apud GEORGISCH p. 546. iam constitut: Si Comes in suo ministerio iusticias non fecit, Missos nostros in sua casa soniare faciat, vsque dum iustitiae ibidem factae fuerint. ET SI VASSVS NOSTER IVSTITIAS NON FECERIT, tunc et Comes et Missus ad ipsius casam sedeant et de suo viuant, quo usque iustitiam faciat. Iustitiam facere esse ius dicere et iustitiam iure magistratus et officii administrare, vel ex illa formula solenni, qua iudices ad iustitias faciendas sedere dicuntur, intelligitur, quod diplomata apud MVRATORIVM T. I. Diff. V. p. 169. Diff. XIII. p. 954. p. 970. p. 974. T. II. Diff. XXXI. p. 967.

~~~~~

967. docent. Sunt plura loca, quae Valuassorum maiorum iurisdictionem ordinariam confirmant. *Capitularia CAROLICAL VI Tit. XXXX. cap. XI.* apud BALVZIVM T. II. p. 214. sanciunt: *Vi Comites et Missi ac VASSI NOSTRI ET MINISTERIALES regni nostri unusquisque secundum ordinem et dignitatem ac possibilitem suam pacem et iustitiam in suis ministeriis faciant et IUSTE OMNES sub Dei respectu iudicent.* Idem etiam in Italia obtinuisse, ex multis locis cognoscitur. Nam praeter sanctionem CAROLI M. ex Capitulari an. 779. in legibus Longobardicis apud GEORGISCH p. 1137. cap. 18. relatam; PIPPINVS Italiae Rex cap. VIII. p. 1178. constituit: *Et de Longobardis Comitibus, qui ex ipsis neglectum posuerit ad iustitiam faciendam, sicut illorum lex est, ita componat.* Et si Gafaldius aut Sculdais vel loci Praepositus de qualibet iudicaria, tam ad suos pagenses, quam ad alios, qui iustitiam quaesierint, non fecerint, sicut lex ipsorum est componat. Et si forsan Francus aut Longobardus habens beneficium iustitiam facere noluerint, ille iudex, in cuius ministerio fuerit, contradicat illi beneficium suum interim, dum ipse aut missus eius iustitiam faciat. Quamobrem Valuassores saepe etiam memorantur in eis personis, quae auctoritate publica iuri dicundo in regno Longobardico praepositae fuerunt. *Tabulis* an. 1116. apud MVRATORIVM T. IIII. Diff. LIII. p. 685. veritum legitur: ne Dux, Marchio, Comes, Capitaneus, Vauassor, vel aliqua magna paruaque persona praedictum monasterium sine legali iudicio disuestire vel inquietare audeat; et CHARTA an. 1117. T. II. Diff. XXXI. p. 945. nullus Patriarcha, Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Capitaneus, Vauassor, Aduocatus, Gafaldio, Villicus, Decanus, --- sine legali iudicio disuestire audeat; atque exinde aliud DIPLOMA apud VGHELLI Italice Sacrae T. IV. p. 593. interpretandum esse censeo, vbi hi iudices memorantur:

Dux

**Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Sculdatio, Decanus noster.** NOSTRORVMQUE MILITVM MILES, seu cuiuscunque ordinis persona. Tandem insignis est locus apud MVRATORIVM T.I. Diff.X. qui apud IENICHEN Thes. Iur. Feud. T. III. p. 294. exstat, quo haec referuntur: Tunc priuatur suis iuribus pars Capitaneorum et Vassallorum iam tribus vicibus per populum exclusa, quae totis viribus ciuitatem istam infestauerat. Nulli parentae licitum fuit dicere deinceps, se habere sanguinis iudicium super vasallum, unde vasalli se valvassores esse confinxerunt. Sola domus Vicecomitum hanc nobilitatem retinuit et vasallos habere potuit propter fidelitatem, quam habuit ad ciuitatem Mediolanensem. Ex quibus omnibus intelligi posse arbitror in iudicibus ordinariis etiam Valvassores esse ponendos. Quamobrem non dubito, quin moribus maiorum etiam iurisdictionem in vasallos suos exercuerint.

### §. XVII.

*Valvassores maiores iurisdictionem ordinariam in vasallos suos excusse, probatur;*

II.) EX LEGE CONRADINA ET IVRE FEVDALI LONGOBARDICO.

Constitutio Conradina non quidem expressis verbis memorat Valvassorum maiorum iurisdictionem, sed cum aliunde constat, ipsos iurisdictione ordinaria fuisse praeditos, et omnino etiam lege ista breui eorum mentio fiat; ipsa res nullum dubitationem habere potest, neque latet ratio cur CONRADVS A. tam longam de eorum iurisdictione eiusque exercitio non inferuerit functionem. Discordia enim inter Capitaneos et Valvassores exaserbat, ad quam extingendum lex lata, ideoque horum iura erant sancienda. Constitutio enim ita insit:

„Ad reconciliando animos seniorum et milium, ut ad invicem semper inueniantur concordes et ut fideliter nobis



„et suis senioribus seruant et deuote, praecipimus et firmi-  
„ter statuimus . . .“

Iura feudorum Longobardica etiam fortissimum praebent argu-  
mentum. Seniori enim tribuunt iurisdictionem in vassallos, Val-  
vassores autem referunt ad Seniores eosque, qui feudum dare  
possunt, ideoque efficitur, vt habeant iurisdictionem feudalem  
in vassallos, sed cum haec sine ordinaria non intelligatur, sequi-  
tur, vt etiam ordinariam habeant, et feudalis nihil aliud sit, quam  
exercitium iurisdictionis ordinariae in vassallos districtus in cau-  
sis feudalibus institutum. Quamobrem de modo quaeritur.  
Evidem hic omnia secundum sanctionem legis Conradiæ esse  
metienda arbitror, adeo, vt iudicium feudale in consensu vassal-  
lorum, curiae Parium, habeatur. Hoc enim moribus maio-  
rum constitutum, sanctione Conradiæ in Capitaneis firmatum,  
non poterat non in Valuassoribus iustum esse, id quod etiam Im-  
perator his verbis omnino innuere videtur, ait enim :

„Hoc autem de maioribus valuassoribus obseruetur. De  
„minoribus vero in regno nostro aut ante Seniores aut ante  
„Missum nostrum eorum causa finiatur.“

Quaeritur de vero huius capituli sensu. Ipsa res et totius sanctio-  
nis nexus hanc interpretationem suggestit. CONRADVS A. am-  
plam sanctionem de iuribus Valuassorum maiorum erga Capita-  
neos conscriperat, iam eadem dispositio inter Valuassores mino-  
res et maiores sanctienda erat, quod binis verbis fieri quidem po-  
tuisse, sed placuit ablegare minores Valuassores vel ad Seniores  
vel ad Missos. Duplex antecedit sanctio, altera de iudicio feu-  
dali Parium, altera de appellationibus in causa feudali. Vtram-  
que his verbis comprehendendi arbitror. Primum quidem causæ  
minorum Valuassorum referuntur ad Seniores, scilicet ad iudi-  
cium feudale Seniorum, vt eodem iure cum maioribus Valuassoribus  
vtantur. Deinde etiam Legati Augustales eandem causam  
cognoscere et finire possunt, sed quo pacto quaeritur. Dupli-  
ter

ter id contingere poterat; primum quidem vice sacra concurren-  
tem cum quolibet ordinario exercebant iurisdictionem, ideoque  
non dubitandum, quin etiam iudiciis feudalibus adsederint au-  
toritate Caesarea; deinde poterat hoc contingere appellatione  
ad Imperatorem interposita. Nam cum de appellatione paulo  
ante sancitum fuerat, idque prorogari debebat ad Valuassores mi-  
nores, breui tantummodo Missorum dominicorum facta est men-  
tio, quippe vice sacra constituti appellationum recipiendarum et  
cognoscendarum habebant potestatem. Ex quo intelligitur  
utramque sanctionem et iudicij et appellationis ad Valuassores mi-  
nores esse prolatam. Atque id etiam I. F. 18. his verbis confir-  
matur: *Si contentio fuerit inter Capitanos, coram Imperatore defi-  
niri debet. Si vero fuerit contentio inter minores valuassores et maio-  
res de beneficio, in iudicio parium definitur vel per iudicem curtis.* Ita-  
que hic triplex ratio iurisdictionis et iudicij feudalis ponitur. Ca-  
pitanei Imperatori, Seniori suo, subsunt, ideoque eorum con-  
trouersiae ad eius iurisdictionem spectant; maiorum Valuassorum  
causae feudales in iudicio Parium coram Seniore audiri debent et  
finiri; minorum Valuassorum contentiones itidem ad iudicium  
Parium referuntur, scilicet sui Senioris, Valuassoris maioris.  
Quam quidem interpretationem vitio carentem aliis antepo-  
nendam puto. Haec tenus iudicia feudalia vidiimus, sed nullam  
iurisdictionem feudalem, sequitur igitur, ut huius natales inue-  
stigemus. Vna eademque quidem est iurisdictione feudalibus, du-  
pliciter tamen exercetur, vel intra Curtem vel extra Curtam, ideoque  
necessere est, ut utriusque etiam in originibus eruendis ha-  
beamus rationem.

---

## CAPVT IIII.

DE PROPAGATIONE IVRISDICTIONIS FEVDALIS EX IVRISDICTIONE ORDINARIA ET  
ORIGINE IVRISDICTIONIS FEVDALIS  
EXTRA CVRTEM.

### §. XVIII.

*Introductionem compleditur.*

Ille potestatis iudicariae portio, quam in iudicio feudali haec tenus cognouimus, a civili iurisdictione, cuius radicibus cohaeserat, paulatim separata et seiuincta naturam propriam induit, et iuxta ordinariam iurisdictionem, matrem suam, existere, propriaque auctoritate, vi ac potestate in causis feudalibus exerceri coepit, tantaque aeuo habuit incrementa, vt latius serpere ipsamque iurisdictionem ordinariam obumbrare videretur. Quamobrem iudex civilis et feudalis monumentis mediis aeuī ubique commemorantur, vt ipse adeo Imperator causarum fidelium et ciuilium iudex creari dicatur, quanquam una persona utramque iurisdictionem exercet. Quo pacto hoc, quibusque ex causis processerit, et quibus legibus firmatum constitutumque fuerit, videndum. Ne tamen putes hoc simul et uno impetu factum esse. Iura enim patria non ex ingeniosis Iureconsultorum prouenerunt, sed ex natura et regimine Germanorum sponte nata adoleuerunt, latisque legibus non tam constituta, quam potius agnita et firmata fuerunt. Eundem in modum iurisdictionis feudalis paulatim radices egit crevitque, et ante iam iuxta stirpem suam sterit floruitque, quam legibus sancta fuit. Quamobrem tempus certum, quo id factum reperiatur, definiri nequit, nisi quod iam seculo XII. vestigia deprehendantur, seculo autem XIII. late patens

patens iam cognoscatur. Quare ex quibus causis hoc contigerit  
indagare studebo.

### §. XVIII.

*Causae, quibus effectum fuit ut iurisdictio feudal is ex ordinaria propagaretur, inveniuntur eoque refertur;*

#### I.) IUDICIVM FEVDALE.

Cum non vna lege iurisdictio feudal is fundata, aut per processus ipsiusque regni discordias sata et propagata, animos ocu-  
losque scribentium in se conuerterit; sed, vt fieri solet, paulatim serpere et incrementa capere cooperit; factum est, vt de eius originibus causisque fere nihil memoriae proderetur, initia contra feudorum et progressus per bella et caedes insignia tam legibus, quam aliis monumentis ad posteritatem propagarentur. Quamobrem nostrum erit magis obseruare mores maiorum et medii aeni regimen, indeque causas colligere, quam ex legibus monumentisque prima initia causasque demonstrare. Tres autem cogitando colligendoque adsequi possum causas, quarum vna in iudicio feudali posita est, altera ex disciplina feudali moribusque medii aeni repetitur, tertia autem in iudiciis perpetuis paulatim constitutis rationem habet. In Germania iudicium feudale aequè ab antiquissimis temporibus obtinuit atque in Italia, neque unquam a dominis haec Germanorum libertas viderur in dubium vocata, vt insigni aliqua lege sanctienda et defendenda foret. Iudicium Principum, quod tam late patet, est iudicium Parium, atque in territoriis tot vassallorum conuentus ubique memorantur, vt iudicia feudalia et ante et post CONRADVM A. in Germania nihil dubitationis habere videantur. Iam imperantibus Carolingis in Germania iudicia Parium constituta et moribus maiorum recepta fuisse, monumentum insigne in Foedera communi Imperatoris et Regum utriusque Franciae apud SCHILTERVM Iust. Iur. Publ.

—————

*Publ. T. II. docet, vbi CAP. X. cautum: ut nostri fideles unusquisque in suo ordine et statu veraciter sint de nobis securi, quia nullum abhinc in antea contra legem et iustitiam vel auctoritatem ac iustum rationem aut damnabimus aut dehonorablemus, aut opprimemus, vel indebitis machinationibus adstigemus; et CAP. XII. Et si aliquis de subditis in quocunque ordine et statu de hac conuenientia exierit aut se retraxerit, vel huic communi decreto contradixerit, Seniores cum veraciter fidelibus suis, haec secundum Dei voluntatem et legem ac iustum rationem, velit, nolit ille, qui diuino consilio et decreto et huic conuenientiae resistentes et contradicentes fuerit, execuantur. Et si aliquis de Senioribus de hac conuenientia exierit aut se retraxerit, vel huic communi decreto, quod absit, contradixerit, cum plures Seniorum nostrorum fideles et regnum primores in unam conuenerint eorum, qui obseruauerint, consilio et Episcoporum iudicio ac communi consensu, qualiter de eo, qui debite admonitus incorrigibilis perseuerauerit, agendum sit, faciente domino, decernatur. Plura per medium aeuum occurunt monumenta, quibus necessitas constituendi iudicium Parium probatur, quorum vnum excitabo. Tabulis an. 1291. apud MARQV. HERRGOTT Geneal. Dom. Austr. Cod. Prob. Num. DCLXII. RVDOLPHVS R. R. uniuersis hominibus vallis in Switz liberae conditionis existentibus — inconueniens nostra reputat Serenitas, quod aliquis seruiliis conditionis existens pro iudice vobis detur, propter quod auctoritate regia volumus, ut nulli hominum, qui seruiliis conditionis existenterit de vobis de caetero iudicia valeat aliqualiter exercere. Haec sanctio omnino interpretanda videtur de ipso iudice, sed eadem adsefforum est ratio, vt inde omnino firmum ducatur argumentum. Quamobrem nemo fortassis in dubium vocabit, iudicia Parium per Germaniam etiam in feidis vassallisque ab antiquis inde temporibus obtinuisse, nisi, quod non in omnibus prouinciis, tam distinetam a iudiciis civilibus rationem habuerunt. Iudicia enim provincialia ex consensu vassallorum fere constabant, vt iudicium feudale separatum constituere superfluum videretur. At vero*

vero cum iudicia feudalia in Italia ex lege Conradina, et in Germania moribus prouinciarum constituerentur; factum est, vt perdetentim singularis iurisdictio in causis vassallorum exerceri videatur, eaque praerogativa vassallorum euaderet. Quare potestas iudicaria ad causas feudales prolata fuit, vt dominus, non tanquam iudex ordinarius, sed tanquam Senior iudicia feudalia convocaret, Pares curiae constitueret, propriamque potestatem confirmando exequendoque sententiam exerceret. Itaque iam alia erat ciuilium alia feudalium causarum ratio, indeque paulatim iurisdictio feudalnis nata, moribusque educta et tandem legibus confirmata fuit. Atque iam nouum seruitiorum genus invaluit, vt vassalli tam ad iudicium feudale constituendum, quam ad munus iudicis subeundum, causamque cognoscendam definiendamque vocati se sisterent. Obligatio haec aequae atque ipsa iurisdictio fata et propagata fuit ex iurisdictione ordinaria atque ex ista obligatione comparendi in iudicio, cuius obligationis mentionem supra iam fecimus. Quae quidem tabulis quibusdam confirmabimus.

### §. XX.

#### *Illustrationes rerum propositarum afferuntur;*

##### I.) EX MONUMENTIS REGNI ITALICI.

Itiae et Germaniae coniunctio ab OTTONE I. usque ad MAXIMILIANVM I. arctiore quadam vinculo adstricta, aequauit fere utriusque regni iura, nisi, quod vassalli Italiae expertes regiminis in Germania pati debebant, vt Principes et vassalli Germaniae cum Imperatore et Seniore suo Italiae imperarent, adhibitis tamen in confortium regni Italici proceribus. Itaque iurisdictio quoque feudalnis, tam in Italia quam in Germania, eodem fere tempore conspicitur. *Tabulis an. 1134. apud PETR. DE MARCA Append. Marcae Hisp. Num. 385. p. 1277.* vassallus domino

G

ait:

= = = = =

ait: et faciam tibi hostes et caualcadas, curtes et placitos et sequimenta cum meo corpore et cum meis militibus de Vicecomitatu Ceraniae; in charta an. 1136. apud MVRATORIVM T. I. Diff. XI. ET IENICHEN Thes. Iur. Feud. T. III. p. 315. refertur iudicium a Regenza Augusta, Lotharii Imp. vxore, de feudo aperto cum Principibus Teutonicis et Latinis habitum, vbi, causa ciuili cognita, quaeftiones feudales remittuntur ad Seniorem his verbis: qui vero pro feudo aliiquid inde quaereret, ad curiam Abbatis veniret, et ipfe congregatis ecclieſae fidelibus eorum et Aduocati confitio iuſtitiam petentibus faceret. INNOCENTIVS III. cap. 13.X. de Iudiciis controuersiis Regum Angliae et Franciae se immiscens ait: Non enim intendimus iudicare de feudo, cuius ad ipsum spectat iudicium, niſi forte iuri communi per speciale priuilegium vel contrariam consuetudinem aliiquid sit detraſtum, ſed decernere de peccato. FRIDERICVS II. an. 1223. codicilliſ apud VGHELLI Ital. Sacrae T. X. conſerimus, inquit, venerabili Abbatii cuncta bona feudi et pertinentias, et vassallos et feudum ſancti Veneris cum pertinentiis suis, et ſpecialiter Caſale Tauelli CVM VASSAL- LIS ET IVRISDICTIONIBVS SVIS. In charta an. 1252. apud MVRATORIVM T. I. Diff. XIV. p. 803. haec fidelitatis ſacramento leguntur: et ſi contra praedita vel aliiquid praeditorum fecero, ex nunc ſpontanea et libera voluntate me amiffioni feudi ſubſicio et iuri, quod in dicto feudo habeo, ex nunc renuncio, ita, ut dominus Marchio auſtoritate propria mihi illud auferre poſſit et ipſius ingredi poſſeffionem, non expeſtata Parium curiae ſententia. Et liberam licentiam et potestatem do ex nunc iis, qui electi erunt ad cognofendum inter dominum Marchionem et vassallos, conſirmandi, quod per dominum Marchionem ſacrum fuerit in auferendo feuda et ingrediendo poſſeffionem eorum iuxta formulam praeditam. Et ita dominus et vassalli ad inuicem osculati fuerunt. Tabulis an. 1284. Italiae Sacrae T. V. p. 193. iudices ſelecti aiunt: Nos — et vasſalli Pares et iudices generales Curiae vassallorum Cenetenſis Epifcopi et Comites et ipſius Epifcopatus in praefata generali curia, tam a praedito domino Epifcopo et Comite,

quam

quam a praediis vassallis et curia ipsius D. Episcopi et Episcopatus in concordia electi et deputati ad cognoscendum, diffinendum et fine debito decidendum de vniuersis et singulis quæstionibus, quae essent et verti et oriri possent inter praefatum D. Episcopum et Comitem ex una parte suo nomine et episcopatus eius Centenses praediti et vassallos seu alii quem de vassallis ipsius et Episcopatus praediti ex altera, cognoscentes — procuratorio nomine ipsius Episcopi. CLEMENS V. cap. II. Clement. de sententia et re iudicata, examinat proscriptionem Henrici VII. Imp. contra Robertum Siciliae Regem promulgatam, eamque esse nullam et inualidam ait, quia Rex Siciliae Imperatoris iurisdictioni non subfasset; Denique, inquit, licet Rex ipse terras alias ab imperatore tenere dicatur in feudum, non tamen in eis, sed in regno praefato domicilium suum souebat, unde Imperator in ipsius personam nulla ratione terrarum huiusmodi, nisi natura feudorum debitam superioritatem habebat.

## 2) EX MONUMENTIS REGNI GERMANICI.

Eadem fere rationes iurisdictionis feudalies in Germania inveniuntur, quod ex causa supra allata nemini mirum videbitur. IN LEGIBVS HENRICI I. Regis Angliae c. 31. refert CAROLVS D<sup>U</sup> TRESNE T. V. p. 131. etiam hanc: *Vnusquisque per Pares suos iudicandus est et eiusdem Provinciae, peregrina vero iudicia modis omnibus submouemus.* Comes Flandriae Regi Galliae tabulis an. 1226. apud LEIBNITIVM Cod. Jur. Gent. Dipl. p. 12. num. 9. promittit: *Nos et successores nostri non inquietabimus nec gerrabinus dominum regem — nec ei deficiemus de seruitute et iure faciendo, quandiu dominus rex velit facere nobis ius in curia sua per iudicium Parium nostrorum;* Princeps Anglus Philippo, Regi Franciae, ad quem Barones quidam conquestum venerant, WILHELMI BRITONIS Philippidos Libro VI. p. 112. secundum editionem Barthii, scribit:

*His ego sum dominus, tu Rex mihi, vera fatebor,*

*Ius tamen est et tu rectum esse fateberis, ut qui*

G 2

Sunt

~~~~~

*Sunt mihi subiecti subeant examina nostri
 Prima fori, qui si defecero forte, quod ab sit!
 Iudicio Parium tunc me tractabo meorum.
 Accedant igitur prius ad me, iudicioque
 Stent nostro, faciam quidquid ius iusserit illis,
 Consilioque illos Parium tractabo suorum,
 Vel sine lite magis omni cessante querela,
 Ut maiestatis saluetur gratia vestrae
 Restituam plene, nulla mihi parte retenta,
 Omnia, quae per nos sibi admota fuisse queruntur.*

Plura diplomata, quibus iudicium Principum et Parium in exercenda iurisdictione Caesarea memoratur, vbique fere obvia sunt, ut adeo loco collectionem instituere superuacuum videatur. In Germaniae Prouinciis idem deprehenditur. *Tabulis an. 1235. apud WESTPHALENIVM Monument Cimbr T. I. p. 2100. et T. IV. p. 928.* domini de Werle vrbi Plauen prituilegia patrum confirmant, in quibus hoc: *Item aequam partem habere debent filiae cum filiis in omnibus bonis, tam feudis quam aliis, et si non sunt filii praefari debent filiabus bona patris.* Idem ciues iurisdictioni ordinariæ territorii exempti quidem, sed iurisdictioni feudalii parere debent, quod his verbis declaratur: *item datum est omnibus in terra minorantibus, quod nunquam ad consilium, quod Markthingk vocatur, sint compellendi, similiter ad ius Factale, quod Landrecht vocatur, sint minime citandi, sed tantum ad ius, quod Mannrecht vulgo vocant.* Quare intelligitur exemptionem a iurisdictione ciuili, non liberare a necessitate sistendi se in iudicio feudalii, interprete WESTPHALENIO *Praefat. T. IV. p. 109. litt. d. GDENVS Cod. Dipl. T. II. num 39. chartam an 1308. exhibet, qua, controuersia inter dominum et duos vassallos mota, iudex curtis ita fatur: Nobis itaque — de mandato domini Petri Archiepiscopi Moguntini praesidentibus in iudicio in villa Eltwil, quae est de proprio fundo ecclesiae Moguntinae*

tinae in termino, ad quem D. Petrus Archiepiscopus praedictus eosdem
 milites mandauerat in iudicium euocari, praesatus Ludouicus in nos
 tanquam in iudicem consenit et pro Henrico fratre suo absente contu-
 maciter de rato solenuiter cauerat de iudicato foluendo et quod iudica-
 tae rei pareret — processimus ad sententiam diffinituam proferendam
 deliberatione diligenti consilioque maturo honorabilium virorum — et
 plurium aliorum ministerialium et fidelium ecclesiae Moguntinae. AV-
 CTOR VETVS de Beneficiis, etiam si verbis non distinguat iuris-
 dictiōnēm feudalem a iudiciis feudalibus, ordinem iudiciorum
 feudalium tamen ita persequitur, ut non possit non inde propria
 feudorum intelligi iurisdictio; CAP. II. §. 7. ait. cum praedito
 modo, homini incusato dominus beneficialiter diem determinet, homini-
 bus suis praecipiat sententialiter, ut eius beneficiari iuri interfint, quod
 qui non fecerit domino vadiabit, et §. 8. similiter homo incusatus fiet,
 si dominus sibi sententialiter determinat diem beneficiale in eius pra-
 sentia absque contradicione iusta et is in termino non comparet. Cau-
 sae in quibus dominus iudicare potest, definitur §. 46 - 51.
 et quam sancte iudicia feudalia fuerint habita §. 36. cognoscitur,
 ubi: homo cum venerit ad beneficiale determinatum diem in curiam,
 in qua dominus placitat, neminem introducat, nisi domini sit homo.
 Quod enim si faciat, domino pro quolibet vadiabit, aut introduxisse se
 eos iuramento purgabit. Quare etiam ad se fistendum in iudicio
 feudal obligatur vassalus, ut causam cognoscat et definiat; nam
 legitur cap. I. §. 16. Homo etiam domino suo in hoc seruiat, ut benefi-
 ciales sententias sibi inveniat, cum dominus eguerit ante meridiem in
 diebus absolutis. Ex quibus perspicitur plenum ea tempestate iuris-
 dictiōnis feudalis viguisse exercitium, iudicemque provinciale
 seu ciuilem a iudice feudali distingui, quanquam fere vtramque
 personam coniunctam reperimus. De iurisdictione Principum
 Electorum feudali cauetur apud HARPPRECHTIVM Archiv. Ca-
 meral. T. I. p. 99. wann ein ieslich Churfürst die Freyheit haette dass
 Niemand keinen seinem Mann laden sollt für kein Gericht noch bekla-
 gen

~~~~~

gen, dann vor dem Churfürsten, des Mann er wäre und da soll dem Kläger anverzüglich Recht beschehen nach seines Hofes Recht und Gewohnheit. TABVLIS an. 1376. apud HONTHEIMIVM Histor. Trevir. Dipl. T. II. p. 233. Carolus IV. Archiepiscopo Treuirense confirmat iurisdictionem feudalem: *vt licet Treuirense subditi seu vasalli forte ipsius Imperatoris et Imperii vasalli forent, attamen ad iudicium Curiae Imperialis vel alterius cuiuscunq; non debeant trahi inititi, sed coram Archiepiscopo similem Imperiali aulae iudiciorum formam exerceente, litigare teneantur.* Plura diplomata aut Iuris Feudalis Saxonici et Allemanni loca, excitare nolo, vt ne multitudine legentes obruantur.

### §. XXI.

*Causae, quibus effectum fuit ut iurisdictione feudalis ex ordinaria propagaretur, inuestigantur eoque refertur;*

#### II. DIFFIDATIONVM BELLORVM QVF PRIVATORVM LICENTIA.

Alteram iurisdictionis feudalis ex iurisdictione ordinaria propagatae et proprio loco constitutae causam in moribus medii aeu*ni bellorumque priuatorum effrenā licentia ponendam esse arbitror.* Istos enim mores maximam vim in iurisprudentiam publicam priuatamque habuisse neminem fugit, *reliquiasque iuris manuarii in iure Germanico vir ILLVSTRIS SELCHOIVS singulare libello collegit;* disciplina tamen feudalis per istud tempus plene formata et ad summum fastigium euecta fuit. Cum enim omne ius in manu esset positum, duplex emergebat appetendi nexum clientelarem causa, vna quidem, vt plures praesto essent milites, tam ad vim rapinamque repellendam, quam ad bellum inferendum; altera, vt vasallus singularem Senioris sui tutelam haberet. Quare factum est, vt Germania evaderet respublica feudalis, et fides vasallitica opinione istius seculi sanctissime habita, fidem

fidem subditiam non modo longe superare, sed adeo absorbe-  
 re videretur. Inde singularis praerogativa vassallis non adhaesit  
 solum, sed ipsi etiam eandem omnibus modis tuiti sunt, et cum  
 singularem tam inter se quam cum domino societatem haberent,  
 omnes alios a iudicio feudali arcuerunt, ut non distincta solum  
 causarum civilium et feudalium inde orirentur iudicia, sed etiam  
 in utrisque separata et distincta exerceri videretur iurisdictio.  
 Itaque honos factus fuit adsidere iudicio feudali et ab amicis pa-  
 ribusque sua curiae et societatis iudicari, ut omnem fere aliam  
 detrectarent iurisdictionem. Inde principium intuluit, ut domin-  
 us feudi iudicaret suos vassallos, quod peperit ipsam iurisdictionem feudalem.  
 Foedera medii aevi inter tot fluctus reipubli-  
 cae inita, id multis locis testantur, pauca delibare ac decerpere  
 suauat. In LEGIBVS societatis S. Georgii apud DATTIVM de P. I.  
 Publ. Lib. II. cap. III. p. 240. de controuersiis haec est: Berürten  
 aber die Spänn Erbschaft oder Lehen, so soll solch Erbschaft, ob die  
 eigen ist, berechtet werden an den Gerichten, da sie gewollt, und die  
 Lehen alliegen dahin sie gehörnen; et in TABVLIS foederis cum Duce  
 Württembergico an. 1464. initi p. 246. conuentum: und in allen vor-  
 geschriebenen Rechten soll vffgescheiden seyn, was Lehen antrifft, dass  
 das vor des Lehenherrn, von dem es zu Lehen gehet, Richter und  
 Maynen berechtigt werden; in TABVLIS Suevici foederis an. 1496. p.  
 327. num. 8. imprimis autem TABVLIS foederis prorogati an. 1500.  
 apud DATTIVM p. 354. cap. 17.-19. cautum: So aber Spann wür-  
 den um Lehen da dann baid toyf der Lehenschaft von einem Herren her-  
 rürendt bekantsch wärendt, so soll dasselbig vor dem Lehenherren und  
 den Lehennännen, wie sich gebürt, berechtigt werden. Ob aber die  
 Partien der Lehenschaft dermaß nit bekantsch weren, sünd die eine  
 Partey vermaint, dass das Gut, darum Spann, eigen, und die an-  
 dere vermaint dass es Lehen were, sollich Spann sollen allweg geleutert  
 und usgetragen werden vor dem Richter der von des antwortenden tails  
 Partey — aber umb die Gewehr, Brauch, inwhaben, posses, Dienst-  
 barkeit

barkeit der Lehen, Güter, oder sonst, dergleichen Sachen soll die rechtfertigung zu yeder zeyt vor dem ordentlich Gericht, darinnen die Güter gelegen sind, geschehen. Rhenani nobiles in PACTO LANDAVIENSI an. 1522. apud LVNIGIVM Arch. Imp. P. Sp. Cont. III. Sct. III. p. 4. constituant: doch ist auch hierneben bedacht, ob Iemand der unsfern mit einigen wer der were Lehn-Güther oder Gerechtigkeit halb irrig würde, oder zu schaffen gewinne, solche Sachen sollen nach ihrer Art und Natur von dem Lehn-Richter und Mannen, wie vor alter Herkommen, verhandelt, gehandelt und entschieden werden, was auch dieselben darin sprechen oder erkennen, dabey soll es ohn appelliren und weiter suchen bleiben. Porro equites Franconici condicunt apud LVNIGIVM loco laudato p. 6. sondern das Recht suchen, um Eir, und Glimpf vor den ordentlichen Richter, um Lehn vor dem Lehn-Herrn, von dem es herrihret, Plura exempla leguntur apud DATTITM Lib. II. cap. XVII. et XVIII. quae quoniam a diligentissimo DATTIO p. 459. collecta et digesta deprehendo, ipse hoc labore supersedeo. Ex quibus perspicitur bella ista et foedera magnam omnino vim ad iurisdictionem feudalem stabilendam formandamque habuisse. Sed tertiam causam videamus.

### §. XXII.

*Causae, quibus effectum fuit ut iurisdictione feudalibz ex ordinaria propagaretur, inuestigantur eoque, refertur;*

¶) IUDICIORVM PERPETVORVM AD IURISDICTIONEM  
ORDINARIAM CIVILEM EXERCENDAM  
CONSTITVTIO.

Magnam etiam vim in formanda effingendaque iurisdictione feudal habuit iudiciorum perpetuorum constitutio. Quoad enim Imperator cum Principibus suis et Statibus regni iurisdictionem in iudicio Principum exercebat, et quo usque Principes in comi-

comitiis et conuentibus populi et salutem territorii cufabant, et ius adhibitis in consilium vassallis et statibus territorii reddebat, nulla fere de separandis causis ciuilibus et feudalibus mouebatur quæfio. Senior enim et vassalli aderant, utriusque causarum generi iudices et arbitri moribus maiorum constituti. At vero siudente vtilitate et urgente necessitate, ut et iudex auctoritate publica et viri litibus iudicandis constituerentur; Senior de iure suo et iurisdictione feudali sollicitus, vassalli singulare illa praerogativa, indicio Parium, exornati; utriusque autem in confessi vassallorum causas suas disceptare assueti, potestatem cognoscendi iudicandi causas feudales non in Praefectum iuri dicundo transtulerunt, sed pristinam in hoc genere seruare formam maluerunt. Inde necessaria iurisdictionis ordinariae et ciuilis a notione causarum feudalium secuta est separatio, quae id simul effecit, ut de finibus utriusque iurisdictionis regundis saepe quæreretur. Quamobrem inde regula elici et præsumtio constitui potest, nullam, neque dominii directi neque iurisdictionis feudalis portionem in iudicem ordinarium perpetuae iurisdictionis causa constitutum, translatam censi, nisi aut lege pacte aut iudicique formula, aut more maiorum receptum doceatur.

*Effectus huius cause demonstrantur;*

i) IN IURISDICTIONE IMPERIALI.

Hanc equidem præcipuum esse causam arbitror, quod iurisdictio Caesarea in duas partes in ciuilem et feudalem distincta fuit. Vassalli enim imperii non patiebantur, ut ipsorum dignitati hoc modo officeretur, et causae maiores ad iudicem vice sacra constitutum ablegarentur, quanquam post multa discrimina id tandem factum est. *Constitutione FRIDERICI II. an. 1335.* facta, qua iudex Curiae ordinatus fuit, apud SENKENBERGIVM Medit. *Iur. et Histor. Fasc. II. p. 351.* cautum: *Wir setzen auch H daz*

daz dez Richez hof hab einen hofrichter, der ein Fri Man si, der sol auch an dem Amt ze dem minsten ain iahr beliben, ob er sich recht und wohl behaltet. Der sol alle tage ze Gericht sizzzen, ann die sunnen tag und ann die heiligen tag, und sol den Luten richten, die in clegnund von allen Luten, ann Fursten und andere hoe Laent, sva es in gat an ir Lip, oder an ir Erb, oder an ir reht, oder an ir Lehen, da wellen wir selv richten. Haec prima mihi videtur iurisdictionis distinctio in imperio, qua quidem non omnis iurisdictionis ordinaria in duas partes diuisa fuit, vt vna feudales altera ciuiles causas complectetur, sed initiam distinctionis tantummodo factum est primaque eius in iurisdictione imperiali fundamenta iacta fuerunt. Nam plures eiusdem rei sanctiones his principiis superstructae fuerunt, quas collegit PFEFFIGERVS ad Vitriarium T. III. p. 312. sed iudicio et acumine recensuit BLVMIVS de iudicio Curiae Imperialis cap. I. §. 4. CONSTITVTIO Regimenti Wormat. an. 1521. §. 71. et ORDINAT. CAMERALIS an. 1555. P. II. Tit. VII. iurisdictionem feudalem plene separarunt in casu in primis feloniae. Verba haec sunt: *Ob auch Sachen vorfielen, Fürstenthum, Herzogthum, Graffschafsten etc. belangend, so vom Reich zu Lehen röhren, so einen Theil gäntzlich und endlich abgesprochen werden sollten, derselbigen Erkenntniß wollen wir uns, als römischer Kaiser hierin, doch sonst in andern Sachen diser Ordnung unabtrüchtig, vorbehalten haben, doch dieselbige aus dem Reiche deutscher Nation nicht ziehen.*

*Effectus huius cauae demonstrantur;*

2) IN IURISDICTIONE TERRITORIALI.

In Provinciis Germaniae duplex ineunda est ratio. In maioribus quidem territoriis, praefertim vbi Landaffiliatus inualuerat, iurisdictionis quidem iudicis perpetuus vice sacra demandata fuit, nec tamen causarum ciuilium et feudalium distinctio inde nata, sed more antiquo vtraque iurisdictionis et ciuilis et feudalis

exer-

exercetur ab eodem iudicio, nisi quod Principes ab initio sibi iura dominii directi interdum referuarunt, quae tamen postea, aut eidem collegio aut alii, itidem vice sacra constituto, delegata fuerunt. Itaque recte KVCHELBECKERVS in dissertat. de iure et modo cognoscendi de feudis imperii antiquo et hodierno §. VII. iudicat: *Hinc in terris ipsis, ubi ius Landsassatus viget, et vassalli simul subditi eg. in Saxonia tam Electorali, quam Ducali, Marchia Brandenburgica, Austria, Banaria, Ducatu Magdeburgenſi, Brunſaicensi, atque Holſaticis, Auhaltinis et Halberſtadienſibus ditionibus iudicium parium curiae ceſſat, et tales caſuae coram iudiciis prouincialibus vel regimine per traſtantur.* At vero in minoribus territoriis, praefertim in terris Principum ecclesiasticorum plene iudiciorum constitutio confecit, vt feudalis et ciuilis iurisdictio ſecerneretur, atque in iis territoriis, ubi plura extra Curtem feuda ſunt, aliter fere fieri non potuit, quod tamen ex formula cuiusuis territorii publica iudicandum exiſtimandumque eſt.

### §. XXIII.

*Iurisdictio feudalis moribus maiorum a iurisdictione ciuili diſtingua confirmatur et ſtabilitur legibus imperii.*

Saepissime de iuribus condendis legibusque faniendis tum demum maiores nostri cogitarunt, quando nata iam moribusque fere stabilita erant instituta. Nam contradictione rei per tempus diuturnum iam obſeruatae exorta, bona occasio erat eam ipsam rem lege aliqua confirmare. In hunc modum plures leges, praefertim in iudiciis Principum, fuerunt conditae, atque ea-dem fere iurisdictionis feudalis ratio eſt. FRIDERICVS II. celebri illa de iuribus Principum Ecclesiasticorum constitutione apud GENIVM in Vita S. Engelberti Lib. III. p. 202. SCHILTERVM Inſt. Iur. Publ. T. II. p. 110. pluresque alios, iam ſpopondit: Item ſi aliquis vassallum ſuum, qui eum forte offendit, iure feudali conuerit et ſic feudum euicerit, illud ſuis viſibus tuebitur. Stabilita hic fuit

H 2

fuit Principum feudalis iurisdictio, sed longe clarior exstat *Sanctio HENRICI VII. an 1122. apud BVTKENS Trophaeorum Brabant.* p. 68. vbi: *inuentum igitur per sententiam Principum, quod in iure*  
*feudali omnis ministerialis feudatarius aequi iudicare possit super feudos*  
*nobilium et ministerialium, exceptis tamen feudos Principum.* Ad  
*haec sententiatum est ibi, quod quilibet nobilis seu ministerialis feuda-*  
*tarius a domino suo iure feudal iusta citatione ad quindenam potest*  
*eitari.* Plenissime autem hoc sanciuit RVDOLPHVS I. anno 1290.  
 apud *LVDEWIGIVM de primo foro subfeudorum imperialium cap.*  
*V. §. 7. Opus. Miscell. T. 1. p. 690. his verbis: Nobis pro tribunali*  
*apud Erfordiam sedentibus, praesentibus Principibus, Comitibus, No-*  
*bilibus, Baronibus, nec non Proceribus regni, petitus fuit in iudicio*  
*eorum nobis, ut sententialiter definitetur, si dominus aliquis habeat va-*  
*fallum, qui attentat quid contra dominum, et contra quem dominus*  
*habeat actionem et ius agendi in iudicio, qualiter contra vassallum do-*  
*mino succurratur. Et exstitit per sententiam consensu praecipitorum*  
*Comitum ac Nobilium approbatum et legitime definitum, quod ipse do-*  
*minus suum vassallum praesentibus aliis vassallis coram se ad iudicium*  
*poteſt euocare, et cognoscere poterit pro vel contra ipsum vassallum,*  
*prout ipsorum dictauerit praesentia vassallorum.* Idem etiam an.  
 1293. *constitutione ADOLFI cautum legitur apud SENCKENBERGI-*  
*VM Corp. Iur. Feudalis p. 801. et PACE PVBLICA WENCESLAI*  
*in comitiis Francofurtensis an. 1398. in Corp. Recess. Imp. P.*  
*1. p. 98. atque ALBERTI II. lege apud DATTIVM de Pace. Imp.*  
*Publ. Lib. I. cap. XXVI. p. 178. sancitur: Wär aber solch An-*  
*sprach um Lehen oder Herrlichkeit, so soll der Vſtrag seyn vor den*  
*Lehenherrn von den solch Lehen oder Herrlichkeit herkommen wäre one*  
*Geverde.* CAROLI IV. *diplomata idem confirmantia exhibet SEN-*  
*KENBERGIVS Corp. Iur. Feud. p. 804. et 809. et litteras SIGIS-*  
*MVNDI an. 1434. LVNIGIVS Corp. Iur. Feud. T. 1. Num. 27 et 28.*  
*atque FRIDERICVS III. apud DATTIVM Lib. I. cap. 13. p. 99.*  
*formula Pacis Publicae hanc legem rogat: Item was Lehen würen,*  
*sollen*

Jollen vor den Lebenrichter und Mannen verrechret werden, und  
geistlich Sachen vor geistlichen Gericht und Erbe und eigen in den  
Gerichten, darinn es gelegen ist, one Geverde. Atque alia eius-  
dem Imperatoris lege an. 1466. apud LVNIGIVM Corp. Iur. Feud. T.  
I. Num. 26. p. 197. et Collect. Recess. Imp. P. I. p. 200. cautum:  
*Dass alle Leben, es sind obre oder nidre Leben, berechret werden  
sollen vor dem Lebenberrn und seinne Mannen, davon sie zu leben  
röhren.* Plura loca monumentis seculi XV. hinc illinc obuia non  
coaceruabo, cum et supra iam multa collecta reperiantur, atque  
lex imperii nouissima, CAPITVLATIO CAESAREA Art.  
XXI. §. 1. caueat: *Wir gereden und versprechen, Churfürsten,  
Fürsten und Stände des Reichs, (die freye Reichsritterschaft mit  
begriffen) wegen ihrer angehörigen Leben, sie seyn gelegen wo sie  
wollen, bey ihren Lebenberrlichen Befugnissen, auch Gerichtsbar-  
keit in denen dabin nach denen Lebenrechten gebörigen Fällen, al-  
lerdings obnbeeinträchtiger und ihnen dariin von keinen Reichsge-  
richte, neque sub praetextu continentiae causarum, neque iudicij  
vniuersalis eingreissen zu lassen.* Locum hunc ESTOR de Iuris-  
dictione clientelari sibi illustrandum sumst, quanquam multae  
saepius mouentur et in vtramque partem disputantur quaestiones  
de exercitio iurisdictionis feudalis, quod vero a nostro loco alie-  
num praeterimus.

### §. XXIII.

#### *De Originibus iurisdictionis feudalis extra Curtem.*

Magna saepe inter viros doctos de iurisdictione feudali extra  
curtem mora est quaestio. Nostrum hoc loco est origines eius cau-  
sasque inquirere, sed in hoc articulo, vti fere in aliis, iura pere-  
grina a domesticis erunt distinguida.

#### I) IVRE LONGOBARDICO IURISDICTIO FEUDALIS EXTRA CUR- TEM NON INTELLIGITVR.

Ius Longobardicum feuda quidem extra curtem memorat,  
sed non eo, quo in Germania sequenti aeno dicta fuerunt sensu.

H. 3

Apud



Apud Longobardos enim Curtis non territorium et iurisdictionis ordinariae districtum significat; sed alodium proprietatemque Ducis, Marchionis, Comitis aut alius Senioris, a quo prouincia, pagus et districtus iurisdictionis distinguitur. In Curte plerumque palatum erat et domus Principis. Diffimus enim Dynasta fere rector simul Prouinciae, aut Dux et Comes constituebatur, ideoque duplex haec persona accurate est secernenda. Quare ipsum palatum Curtis vocabatur, regimeneque inde per prouinciam manabat atque iudicia ibidem haberi solebant. **LEGE ALAMANNORVM** proprietas Ducis **Tit. XXXV.** memoratur, et **Tit. XXIX.** caetetur: *Si quis in curte Ducis hominem occiderit, aut illic ambulante aut inde reuertente, tripli werigido eum soluat — ut unusquisque homo pacem habeat ad dominum suum veniendo et de illo reuertendo;* **tit. XXX.** constituitur de eo, qui *Misum Ducis infra Prouinciam occiderit,* et **tit. XXXIV.** ac **XXXV.** is, *qui in curte Ducis seditionem mouet, ab eo, qui infra prouinciam res Ducis hostiliter inuadere praesumferit,* distinguitur. Haec distinctio fundamenti loco etiam in iure Longobardico est ponenda, ut feuda Curtis in proprietate Senioris, feuda extra Curtem in bonis regni ac imperii data, vtraque autem iurisdictioni Senioris ordinariae subiecta censeantur. Locus **I. F. V. §. 1.** hoc ita declarat: *Item si quis feudum habuerit in curte domini sui, non poterit ipsum feudum in aliqua parte libellario nomine alicui sine consensu domini sui dare vel pignori obligare. Similiter si extra curtem detinuerit, et dominus districtum habuerit vel aliun honorem.* Inde locus interpretandus **II. F. LI. pr. et II. F. 54.** sanctitur: *Ad hoc qui alodium suum vendiderit, districtum et iurisdictionem Imperatoris vendere non praesumat, et si fiat, non valeat.* Quamobrem quae iure Longobardico in feudis extra Curtem exercetur iurisdiction, est ordinaria Seniori iure magistratus per districtum et prouinciam competens iurisdiction, neque iurisdictionis feudalnis extra Curtem mentionem repertus libro feudorum; vel quia ea tempestate iurisdiction feudalnis ab ordinata-

dinaria plene distincta nondum intelligebatur, vel quia feuda extra Curtem apud Longobardos alio sensu atque apud Germanos dicuntur, praesertim si de iurisdictione feudali extra Curtem quaeratur. Quare haec praesertim natales suos ex moribus maiorum repetit.

II) IURISDICTIO FEVDALIS MORIBVS LEGIBVSQVE EX OR-  
DINARIA PROPAGATA PROROGATVR AD VASSALLOS  
ET FEVDA EXTRA CVRTEM.

Feuda extra Curtem ea dicuntur, quae extra territorium Se-  
nioris et districtum iurisdictionis ordinariae seu extra fines pro-  
vinciae et iurisdictionis territorialis sita sunt. In origines feudo-  
rum extra curtem et territorium inquirere nolo, medio aevo au-  
tem nata et constituta fuisse certum est. Quamobrem omnino  
de exercito iurisdictionis feudalium in feudis extra Curtem quaeri-  
tur. Etenim hanc iurisdictionem esse exercitium iurisdictionis  
feudalis ordinariae in feudis vassallisque extra Curtem, atque  
omnino ex prorogatione esse natam, nihil fere dubitationis ha-  
bet; sed ex quibus causis hoc factum sit, quaeritur. In vniuer-  
sum causa in licentia mediis aevis bellisque priuatiss, ex quibus  
omnino fere iurisdictionum confusio oriebatur, ponenda est.  
Miscebant enim omnia, neque per strepitum armorum vox iu-  
dicis exaudiri poterat, ideoque de finibus iurisdictionum regun-  
dis rara erat aut nulla disputatio, nisi simul superioritatis et im-  
perii quaestio moueretur, qualia exempla in iudiciis Principum  
omnino commemorantur, quo *tabulas FRIDERICI I. apud SEN-*  
*KENBERGIVM de Iudicis Principum p. 19.* referendas esse existimo.  
Quam quidem remotam appellare possimus causam. Proximae  
autem fuerunt plures. Prima quidem ex iudicio Parium et ne-  
cessitate vassallum coram Paribus iudicandi repetenda videtur.  
Feudis enim extra Curtem constitutis, non cessabat ordinaria iu-  
risdictio Ducis, Comitis vel Principis in cuius districtu sita erant  
feuda,

feuda, competens potius hic erat iudex in omnibus vassalli et  
 feudi causis, sed cum nouae quaestiones ex nexu feudali emerge-  
 rent, eaeque moribus legibusque ad indicum Parium essent re-  
 ferendae, concursus omnino et conflictus iurisdictionis ordina-  
 riae atque feudalis oriebatur. Iudicis enim ordinarii notio in  
 dubium vocari non poterat, causa tamen feudalis ex ipsa lege in  
 confessu Parium, id est vassallorum, qui ab eodem domino feuda  
 tenebant, erat cognoscenda et definienda, sed vicit iurisdictio  
 feudal, vassalus extra Curtem ad dominum vocabatur et iuri-  
 sdictio feudal etiam in haec feuda prorogabatur. Quare nece-  
 sitas Parium impedimento fuit, quo minus iudex ordinarius in  
 hoc causarum genere exercerer iurisdictionem suam, ideoque  
 pati debet, ut subditus suus ad Seniorem et iudicium Parium  
 aliud iudicis vocaretur. Quare in hoc genere non sublata, sed  
 impedita est iurisdictio ordinaria. Altera causa huius proroga-  
 tionis omnino etiam est constitutio iurisdictionis feudal lege et  
 sanctione generali facta. Senior enim iudex constituitur in cau-  
 sis clientum suorum, nulla ratione habita, in Curte an extra Cur-  
 tem habitent et feuda possideant. Tanti enim haec res medio  
 aeuo non habebatur, quo saepe contenti erant coercere et repre-  
 mire effrenam bellandi licentiam, etiamsi confusio iurisdictionum  
 inde nascebat. Quare non facile exercitium iurisdictionis  
 feudal etiam extra territorium et districtum iurisdictionis ordi-  
 nariae denegabatur aut impiedebatur, id potius legitime fieri  
 credebatur, legibus in universum de domini iurisdictione conscriptis,  
 quod illi ipsi Principes, quorum iurisdictio turbabatur,  
 pactis saepe agnouerunt. In hoc autem genere tertia accessit  
 causa, scilicet pacta contractui feudali de agnoscenda domini iuri-  
 sictione adiecta. Seniores enim ordinariam et feudalem ha-  
 bebant iurisdictionem, quam quidem facile ad minores et im-  
 belles vassallos extra Curtem proferebant, at vero, ne vassallus  
 potentior detrectaret iurisdictionem domini, saepe stipulatione  
 inter-

interposita cautum fuit, ut se sisteret in iudicio feudali. Quamobrem in morem et ius abiit in quibusdam curiis clientelaribus, ut formulae iuris iurandi, praefertim in feudiis extra Curtem, haec pactio infereretur. Exempla igitur fere in Comitibus et Principibus vassallis inueniuntur, in quos aut nulla iurisdictio ordinaria erat, aut saltim dubia, inque quibus verendum erat, ne occasione data iudicium Parum potentia sua freti recusarent. Quae quidem monumentis quibusdam illustrabimus.

### §. XXV.

#### *Illustrationes verum propositarum afferuntur.*

Antiquissimum, quod inuenire potui, iurisdictiois feudalibus extra Curtem monumentum est DIPLOMA an. 1108. apud PETRVM DE MARCA App. Marcae Hisp. p. 1233. Raynundus Comes multis priuilegiis exornat nescio quem, qui Olerdulam, castrum a Saracenis dirutum exstruxerat et fortissime defenderat, ubi inter alia haec leguntur: *Caeteri quoque homines, qui sunt de militibus terrae nostrae, qui construxerint vel habitauerint in eodem castello, illos habeant seniores, quos modo habent, et illis seruant et ab eis disstringantur solis, si opus fuerit. Et si contentio fuerit vel placitum inter homines de Castellania et alios homines, qui non sunt sui Seniores, eorum faciant directum, et unusquisque Senior proprios disstringat suos homines.* De conflictu utriusque iurisdictiois exstat CONSTITUTIO HENRICI VII. apud BUTKENS Tropb. Brabant. p. 68. vbi haec: *Sententiatum est ibi, quod quilibet nobilis seu ministerialis feudatarius a domino suo iure feudali prima citatione ad quindenam potest citari. Iterum si aliquis sue nobilis sue ministerialis allodium ducis de duce tenet in feudum, ipse dux cum citare potest super illo allodio super alium locum*

[decorative separator]

cum ubi habet allodium, ubicunque voluerit, si autem illud feudum sit ab alio Principe obtentum, iunc dux Feudatarium citare potest super quamcumque partem illius feudi, quod ab alio Principe descendit. Pactis hanc fuisse stabilitam iurisdictionem, plura exempla demonstrant. MVRATORIVS T. V. Diff. LXVIII. p. 849. tabulas exhibet, quibus Pontifex Comitem inuestit per cuppam argenteam deauratam et vassallus iurat: *Quod si aliqua persona pro dicta terra Comiti praefato mouere voluerit quaestionem, ipse Comes teneatur ei, in curia ecclesiae Romanae iustitiae plenitudinem exhibere.* Comites Saynenses, Treuirensis Praefulsi vassalli, an. 1340. apud LVDEWIGIVM de primo foro subfeud. Imperialium Opus. Mis. p. 655. aiunt: *Et si quid dissensionis inter dominum Treuirensem et nos emerserit, super his coram domino nostro Archiepiscopo iuri stabimus dando et recipiendo iuxta definitiōnē et sententiam nobilium vassallorum dicti Archiepiscopi.* Alias huius generis pactiones Comitum Battenbergensium an. 1227. initas exhibet ESTOR de Inuestitura p. 57. alias Comitum Rietbergensium affert LVDEWIG libello, quem diximus cap. II. p. 681. Curia feudalis Bohemica prae reliquis fere de stabilienda et conseruanda iurisdictione feudali fuit follicita, quod TABVLAE apud LVNIGIVM Corp. Iur. Feud. Vol. II. num. 95. p. 234. et SENTENTIA an. 1710. Vol. III. p. 220. in causa Thungiana et Heribopolitana edocent. Aliud huius generis pactum inter dominos et vassallos initum legitur apud LVNIGIVM loco laudato Vol. I. p. 1283. et alia exempla collegit VIR ILLVSTR. HELLFELDIUS diff. de genuino fundamento iurisdictionis feudalis §. XXIII. Quamobrem plura coaceruare nolo. Vassalli intra Curtem omnino etiam pacto et iuramento iurisdictionem feudalem agnouerunt, sed haec magis cautela, quam necessitas fuit, nisi, quod mores istius temporis hanc cautionem prope exigerent. DATATIVI enim de P. I. P. cap. XI. recte iudicat; ea tempestate tam

lem

lem hominum animis insedisse opinionem, vt eum bello peti posse putarent, quicum de pace seruanda paci non essent, neque villam fere, nisi ex pacto agnoscerent obligationem.

Sed haec sufficient de originibus iurisdictionis feudalis differuisse, multum luminis exinde ad ipsa iuris principia redundare, facile doceri possit, nisi haec ad ipsam iurisdictionis feudalis naturam, quam hoc loco exponere animus non est, pertineant. Quamobrem legentium sit arbitrium exinde delibare atque decerpere quid sibi vtile atque frugiferum videatur.



# IOANNI BALTHASARI WOLKOPFFIO.

S. D. P.

## CHRISTIANVS GOTTLLOB BIENERVS.

Cum mihi societatem disputandi offerres, libens eam contraxi, vel quia ingenium in TE sollers artiumque optimarum copox deprehenderem; vel quia TE mihi in iuris publici et feudalis prudentia formandum tradideras. Quamobrem a nostra societate non alienum putaui, eam TIBI elaborandam dare materiam, quae ex ipsa illa disciplina hausta sit atque de prompta. Executus es rem difficultem et arduam, quippe a tot seculis repetendam; libellum consilii meis conscriptum exhibuisti, quem virorum doctorum suffragia laturum auguror, neque dubito, quin virtutis diligentiaeque laudes in TE redundaturae sint. Limam rerumque et verborum expolitiones adhibui quidem, sed cum principia harum rerum iam in scholis meis imbibisse, viamque quam monstraueram, ires; factum est, ut rerum opinionumque consensus contentusque oriretur. Gratulor itaque PARENTI TVO filium, quem ipsi gaudio, patriae autem utilitati futurum spero atque confido. Caeterum vehementer opto, charissime Wolkopff, ut mox laudis diligentiaeque TVAE fructus copias, quod quidem maximam mihi pariet laetitiam, et cognoscas me eodem, quo huc usque, semper futurum animo. Itaque etiam TE rogo, vt vices reddas, amicitiamque TVAM mihi etiam in posterum serues. Vale! Scribebam in litterarum uniuersitate Lipsia A. D. X. Kalend. Iul. MDCCCLXXX,



**ULB Halle**  
005 361 435

3





B.I.G.



EXERCITATIO IVRIS CLIENTELARIS  
DE  
**ORIGINIBVS IVRISDICTIONIS**  
**F E V D A L I S**  
EX IVRISDICTIONE ORDINARIA  
REPETVNDIS  
SCRIPTA  
ET  
AVCTORITATE ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
P R A E S I D E  
**CHRISTIANO GOTTLLOB BIENERO**

IVRECONSULTO

A. D. XXIX. IVNII CICICCLXXX.

H. L. Q. C.

AD DISCEPTANDVM PROPOSITA

A

IOANNE BALTHASARE WOLKOPFFIO  
PRETZSCHENSI.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEM. HEREDD. ET KLAVBARTHIA.

